EPISTOLÆ
THEOLOGICO-MORALES

AD

ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

EPISCOPUM N. N.

ADVERSUS

Librum Inſcriptum: *Diſſertatio in Caſus Reſervatos Venetæ Diœceſeos. Apud Joannem Marianum Lazzaronum.*

EDITIO SECUNDA VENETA.

VENETIIS, MDCCXLIV.

Apud Simonem Occhi, ſub Signo Italiæ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA PRIMA.

Litteris, quas elapſo menſe ad me dediſti, Doctiſſime Præſul, variis diſtentus curis, reſpondere citius haud potui: Deploras in eiſdem Ethices Chriſtianæ præcepta in dies peſſum ire, non tam populorum malitia, quam opinionum perverſitate. Lamentaris, quod Venetiis non ita pridem opuſculum paginarum aliquot in lucem erupiſſe intellexeris laxioris doctrinæ propoſitionibus refertum. Ferunt, inquis, in hocce libello doceri, venialis noxæ confinia minime tranſilire, qui genas Sanctimonialium vellicant, unaque mammas tangunt; qui ex conſuetudine blasphemiis Dei Majeſtatem proſcindunt. Percontaris verum ne hoc habeat? Fidem adhibere renuo, inquis, amico, qui hæc ad me ſcripſit, his preſſus rationum momentis. Ecqui fieri poteſt, ut Probabiliſtarum aliquis tam erronea commenta evulget? Lippis, & Tonſoribus compertum eſt, ab integro jam ſæculo, vexari Probabiliſtas, quod Evangelicæ Moralis leges ad animarum perniciem laxent. Decerptas ex ipſorum libris 45. opiniones, ſcandali, audaciæque plenas, Alexander VII. 65. Innocentius XI. anathemate confixerunt. Millenas alias ex eorum pariter libris extractas, in uno, alterove volumine collectas, typis editas evulgarunt illorum Adverſarii. Quid ad hæc Probabiliſtæ? Invicto pectore pernegant, opiniones ejuſmodi in ſuis reperiri libris. Clamant totis lateribus, per ſummam injuriam eaſdem ſibi affingi, atque calumniæ, & invidentiæ Adverſarios poſtulant, quod detruncatas, & exquiſita vafritie in alienum ſenſum detortas, publice deridendas propinaverint. Quot Apologias non ediderunt, ut malam iſtorum in hoc negotio fidem evincerent? Tot certaminibus experrecti,

Digitized by Google

recti, & diuturna docti experientia didicerunt illi, ſuos ventilari libros, ad ſeverioris critices amuſſim exigi, & ſi quid erroris repertum fuerit, ſibi exprobrari, in vulgus exaggerari. Cuinam ergo in mentem venire poteſt, ex Probabiliſtarum officinis quidquam rei Caſuiſticæ in lucem prodire, quod non ſit omnibus numeris expolitum, vel quod invidis Ariſtarchis illos carpendi anſam præbeat? Accedit, quod nullus eorum rei litterariæ partus domo egreditur, niſi prius ab eruditis prudentibuſque Cenſoribus fuerit recognitus, approbatuſque. Suſpicandum ne, plures doctos viros laurea Theologica, & morum integritate præditos, ſimilia laxitatis offendicula confirmaſſe? Nunquam induci hactenus potui, ut crederem veroſimilia, nedum vera eſſe, quæ ad me ſcripſit amicus. Quare te etiam, atque etiam oro, obteſtorque, ut me authenticis documentis rei hujuſce certiorem facias.

II. Ut votis tuis, Antiſtes Præſtantiſſime, faciam ſatis, narrabo quod res eſt. Prius tamen hoc tu des mihi velim, ut in refellendi laxis opinationibus tecum ſæpe, ſæpius cum aliis colloquar. Indicatum itaque opuſculum hactenus me latuit. Nec ad te reſcribere quidquam de illo poſſem, niſi duo ſeverioris inſtituti Religioſi viri opuſculum iſtud ſponte ad me, non ita pridem, detuliſſent, eum in finem, ut illud refutarem. Narrarunt quippe, maximum illud parere ſcandalum tum in Confeſſarios minus eruditos, tum in Santimoniales ipſas, quæ quod grave reputabant ſacrilegium, leve eſſe didicere. Quare animarum ſalutis zelo flagrantes viri Dei inſtare precibus, urgere conſiliis, ut confutandi libelli ſpem illis facerem. Extorquere tamen promiſſionem haud potuerunt, tum quod in alia incumberem ſtudia, tum quod nec ipſe induci omnino poteram, ut crederem tam erronea commenta in libello obtrudi, hancque meam Religioſis viris incredulitatem ſubindicavi. Verum illi, paginis indicatis, ad lectionem laxitatum provocarunt. Veritate facti comperta, animus ad confutationem pendebat. Simul tamen multa retrahebant. At ecce. Dum hæc fluctuanti animo volvebam, Litteræ tuæ adveniunt, calcaria ad curſum mihi, ſin parato, ſaltem propenſo adjiciunt. Quamobrem tot adactus ſtimulis confutandum libellum operæ pretium decrevi, non tam, ut tibi paream, quod tamen non levi mihi honori verto, quam, ut animarum ſaluti con-

conſulam, & ſcandala adeo gravia ſubmoveam. Quod antequam præſto, facti veritatem, quam inquiris, paucis perſtringam.

III. Prodiit anno proxime elapſo MDCCXLIII. *DISSERTATIO IN CASUS RESERVATOS VENETÆ DIOECESEOS, AUCTORE N.N. apud Joannem Mariam Lazzaroni.* Authoris, & inſtituti nomina, in fronte ſcriptiunculæ alioquin exarata, ſileo, ne muſſitare quiſquam auſit, in homines, non in errores, me calamum acuere. Libellus hic foliorum quatuor eſt, duplici impreſſus forma, altera in 4.° in 8.° altera, ut facilius in vulgus deveniat, latiuſque permaneat. Octo Venetæ Diœceſis *caſus*, quos *reſervatos* vocant, interpretandos Author ſuſcepit. Principio Regulas præmittit octo, ad quarum amuſſim revocari tractanda debeant. Poſt, caſus ipſos exponit. Sunt hi ſeipſis apertiſſimi, & cuique Tyrunculo pervii. Interpretamenta lucis omnino nihil, tenebrarum plurimum: laxiorum vero opinationum compendium ex aliis Caſuiſtis convaſatum produnt. Quippe, quæ in his materiis cæteri Probabiliſtæ ineptiora commenti ſunt, expiſcatus eſt, in pauca contraxit; de ſuo vero adjecit quæ nec Caramuel, nec Diana, nec Tamburinus, nec Eſcobarius ſcriptis commendare ſunt auſi. Hæc de genere univerſo.

IV. Errores ipſi ſigillatim promendi nunc ſunt. Levioribus prætermiſſis, graviores tantum excutiam. Orſa ab octavi caſus expoſitione ducam. Caſus reſervatus ejuſmodi eſt.

CASUS OCTAVUS

Quælibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata.

QUid in hocce caſu interpretatione dignum? Plura reponit *Interpres*. Primum admonitum te velim, inquit, in hoc caſu comprehendi etiam pollutionem, immo & fornicationem. En illius verba pag. 22. *Cave tamen putes, caſu hoc non comprehendi etiam luxuriam conſummatam cum Monialibus peractam, vel quocumque modo attentatam, E. G. fornicationem, vel pollutionem.* Acutiſſime. Præmonitum pluſquam neceſſarium hac

hac tempeſtate, qua homines probabiliſticis diſtinctionibus pleniſſimi, forte potuiſſent hoc pacto ratiocinari. Caſus reſervati ſunt odioſi. Reſtringunt enim humanæ libertatis jura. Ergo ſtricte interpretandi. Ergo ad litteram. Porro fornicatio non eſt impudicitia: ergo fornicatio non eſt reſervata. Pollutio etiam pejor eſt ſimplici impudicitia: ergo, ſpectato litteræ ſenſu, non comprehenditur in caſu. Nec enim ſemper evenit, ut qui prohibet minus, prohibeat majus. Hæc fieri ratiocinia Interpres timuit. Ille enim, qui in Palæſtra Probabiliſtica diu ſtipendia meruit, experientia didicit ſimilia diſputari. Ideo ut expertus Magiſter clamat; *Cave ne putes, caſu hoc non comprehendi etiam luxuriam conſummatam*.

V. In Secundo præmonito duo graviſſima puncta verſat. Alterum nomen ſpectat Monialium. Aliæ, inquit, *Sorores*, aliæ non *Sorores* vocantur. Diſtinctio apprime animadvertenda. Quia etiam ex Clauſtralibus viris, alii *Fratres*, alii nolunt prorſus *Fratres* vocari. Caſus Noſter Moniales *Sorores*, & Moniales non *Sorores* concludit. Hæc ſunt illius verba *cit. pag.* 22. *Porro nomine Monialium hic intelliguntur Religioſæ, quæ* Sorores *vocantur æque, ut quæ* Sorores *non vocantur*. Alterum, quod tota mentis indagine, & pluribus adhibitis diſtinctionibus exponere aggreditur, eſt numerus pluralis. *Moniales*. Serio, quæſo Lector, animo adſis, intentaſque aures arrige; quia res abſtruſa, atque implexa diſpicienda venit. Caſus reſervatus utitur numero plurali *cum Monialibus*. Non te fugit, quam acriter diſputent noſtri docti Juniores, utrum numerus pluralis intelligi debeat *diſtributive*, vel *disjunctive*, & non *collective*, vel *copulative*. Quo conſtituto, an non ſuboles erroneæ intelligentiæ periculum? Quodnam? Stupidus ne tu? Quod nempe, ut caſus ſit reſervatus, impudicitia debeat eſſe non *disjunctive*, vel *diſtributive* cum hac, vel illa; ſed *collective*, & *copulative* cum omnibus Monialibus. Quare ne tantus ſubrepat error, admonendi Confeſſarii ſunt, caſum comprehendere impudicitiam peractam cum una ſola Moniali. Recitemus verba ex *cit. pag.* 22. *Neque dubites, quin, etſi dicitur* cum Monialibus *plurali numero, reſervetur impudicitia ejuſque attentatio etiam cum unica Moniali: illud* cum Monialibus *diſtributive, vel disjunctive, & NON collective, vel copulative ſumendo, coherenter ad id quod caſu 1. quæſt. 6.*

de

de Blaſphemiis in Sanctos docuimus. Quis inficias iverit monitum iſtud acuminis, exquiſitæque prudentiæ plenum eſſe? Sunt enim plures adeo obtuſi, ut audientes *To cum Monialibus*, colligant, ad impudicitiam reſervatam neceſſium eſſe, ut illa attentetur cum omnibus Monialibus *collective*, & *copulative*, nec ſatis eſſe hanc impudicitiam peragi, vel attentari cum hac, aut illa Moniali *diſtributive*, & *diviſive*.

VI. His delibatis ad id, quod caput eſt, Interpres accedit. Rem inauditam, a nemine Caſuiſtarum hactenus excogitatam, proponit, tamquam veritatem extra diſputationis aleam conſtitutam. Nolo meis verbis illam exponere, ne aut exaggeratoris, aut malæ fidei notam ſubeam. Verba igitur Interpretis tranſcribamus ex cit. *pag.* 22. *col.* 2.

Quæritur tertio, an reſervatione afficiatur qui cum Moniali peragat, vel attentet actus SUB-IMPUDICOS, DE SE veniales V. G. genas VELLICARE, MAMILLAS tangere, & ſolum ex pravo affectu, vel ex prava intentione mortales. R. Negative. Nam juxta noſtram Regulam octavam, nonniſi peccata per externam malitiam mortalia reſervantur.

Adeo bituminoſa doctrina eſt, ut ignorem deteſtari ne illa debeam, an confutare. Vereor enim, ne lutum verſando & ſcribentis, & legentium animi inquinentur. Ut id vitarem, ſtylo modo hirſuto, modo ſalibus adverſus putorem aſperſo, utendum cenſui. Ad rem. De reſervatione criminum venialium quæſtio nulla. Confeſſariis omnibus exploratum eſt, ſola mortalia reſervari. Quid ergo veritatem obviam, manifeſtamque in diſputationem vocavit? Ignoro & ego, ſi Interpretis animum conſidero, quem pium, rectum, ſanctumque habeo. Cæterum, ſi illius ſcriptiuncula ſpectetur, eo pertinere illam apparet, ut Reipublicæ Chriſtianæ hanc patefaceret novitatem, videlicet: poſſe quemlibet citra mortalem culpam exercere actus *ſub-impudicos* cum Virginibus Deo deſponſatis, V. G. vellicare genas, & tangere mammas, dummodo pravus abſit affectus.

VI. Actus ergo exercendi, non *pudici* ſunt, ſed *impudici*. Hui tam cito impoſturam! Non dixi *impudicos*, ſed *ſub-impudicos*. Egregie. At propoſitio *ſub* non mutat, ſed temperat dumtaxat vocis ſignificationem, omnium latinæ linguæ Interpretum conſenſu. *Subamarus* aliquantum amarus, vulgo *amaretto*. *Subobſcurus*

rus aliquantum *obſcurus* . *Subimpudicus* aliquantum impudicus, vulgo *impudichetto*. *Sublibidinoſus* aliquantum libidinoſus, vulgo *libidinoſetto* . Nemo Caſuiſtarum vel laxiſſimus hactenus diſtinxit inter actus pudicos, & impudicos tertium genus ab utroque diſtinctum, quod vocetur *ſubimpudicum* . Falleris, inquit *Interpres*, &, ut video, admodum parum verſatus es in noſtrorum lectione Theologorum. Tamburinum Probabiliſticæ ſcientiæ lumen primum conſule *lib.* 7. *cap.* 8. Ut Caſuiſticæ ſubtilitatis in re venerea principia oſtendam, quaſi a ſemita in diverticulum paululum declinare cogor. Gravaberis fortaſſe, quod antequam cauſam ipſam ingredior, plus juſto te in veſtibulo detineam . Verum in decurſu deprehendes, omnia, quæ dicturus in anteceſſum ſum, eo tandem recidere, ut in pleno lumine diſputationem collocent . Diſtinguit ergo celebris inter Probabiliſtas Doctor Tamburinus *loc. cit. num.* 2. Tria delectationum genera . Unam naturalem, alteram libidinoſam, tertia *non libidinoſam* . ,, Tanquam (inquit) fundamentum perneceſſarium ,, eorum, quæ hic proferenda ſunt, præmitto in prædictis, V. ,, G. in tactu MANUS mulieris, tria genera delectationum ,, inveniri. Primam naturalem. Secundam libidinoſam, quam ,, veneream appellamus. *Tertiam NON libdinoſam*.

VII. Iſtius tertiæ delectationis qualitas, ut percipiatur, duæ priores explicandæ ſunt. Primam exponit Tamburinus his verbis *loc. cit.* ,, Naturalem delectationem voco eam, quæ oritur ex ,, naturalium qualitatum proportione. Sic delectatur manus tan,, gere mollia, refugit aſpra... Si quis ergo tangit manum mu,, lieris, & ſine ulteriore intentione delectetur de ſola mollitie, ,, de ſolo calore, de ſolo frigore &c. ex ſe nullius erit peccati ,, reus. ,, Huc revocat delectationem, *quam vocat Moralem* , quæ potius voluptas mentis eſt, quam ſenſilis appetitionis affectio . Talis eſt caſta delectatio, quam quis ſumit ex oſculo more Patriæ, vel honeſto tactu manus . Verba Tamburini rem in medio conſtituent. ,, Huc reduco Moralem, ſic juvat appel ,, lare delectationem, quæ interdum ex his captatur, quæque ,, potius voluptas mentis eſt, & gaudium, quam affectio appe,, titus ſenſitivi. Talis eſt caſta delectatio, quam quis ſumit ex ,, oſculo more Patriæ, vel honeſto tactu manus, quando exhibe,, tur cauſa caſtæ amicitiæ . Tunc enim amicus, ſeu amici

,, pars

Digitized by Google

,, pars ſuperior ſibi complacet de morali, honeſtaque amicitia, ,, nihil de ſenſitiva delectatione cogitans.,, Num vaporem aliquem Molinismi luti hæc doctrina crepet, cæteri judicent. Illud nobis lepidum feſtivumque apparet, quod in mulieris ſuavio animus morali delectatione fruatur, nihil de ſenſitiva delectatione cogitans. Perſpicuam vellem perhiberi iſtius *Moralis* (*ſic juvat*, inquit Tamburinus *eam appellare*) *delectationis* notionem. Clariorem ea, quam Tamburinus exhibet, nemo porrigere valet, cum ipſe ſolus hanc moralem delectationem in gaudio partis ſuperioris ſitam excogitaverit. Si plene diſtinctionem hanc non aſſequeris, ſaltem admirare acumen, ſtudium, zelum perdocti Probabiliſtæ in lenociniis, & blanditiis excogitandis, quibus ardor concupiſcentis animi mitigetur citra culpam. Secundam delectationem his verbis declarat ibidem n. 4. ,, *Libidinoſa*, *vel venerea eſt*, *quæ oritur ex copula*, *pollutione*, *diſtillatione*, *vel cogitatione ipſarum*. De hac nulla difficultas; nimis quippe craſſa, & ſenſibus ſubjecta eſt, quam ut explicatione egeat. Tertia eſt, quæ in admirationem homines defixos tenet. Exiſtimabam Scholaſticos tantum in diſcrimen vocare hoc principium, *Quodlibet eſt*, *vel non eſt*, mediam interferendo diſtinctionem ex natura rei. At metaphyſicas præciſiones in ſenſuum oblectamenta invectas audio. Sicut enim *quodlibet eſt*, *vel non eſt*: ſimiliter quælibet delectatio tactus fœmineæ manus, *aut eſt*, *aut non eſt libidinoſa*. Falleris, reponit Tamburinus, atque Summuliſticarum Regularum te ignarum prodis. Tò *Non*, ſi antecedit verbum *eſt*, negantis vim habet: ſi ſubſequitur, a libidine abſtrahit. Papæ? Etiamne in carnalibus illecebris ſimilium diſtinctiuncularum uſus? Sed quid tempus terimus? Tamburinum ipſum audiamus, hanc ſuam tertiam *non libidinoſam* delectationem mediam inter utraſque libidinoſam, & naturalem ſeu ſenſitivam exponentem *loc. cit. num.* 5. ,, Non libidinoſa eſt illa ,, delectatio, quæ ſumitur ab aliquibus actionibus, quæ licet ,, ordinatæ ſunt aliquando ad generationem, aliquando tamen ,, non ſunt; & tamen ut non ordinatæ ſuam pariunt propriam ,, delectationem: qua ratione poſſent dici remote, non vero ,, proxime ad generationem ordinari. V. G. tactum fœmineæ ,, manus, certum eſt poſſe referri ad ſe præparandum ad copulam: at poteſt non referri, & nihilominus tunc ille tactus

„ pariet ex ſe in tangente ſuam delectationem, *non quidem il-*
„ *lam ſolam naturalem ex proportione qualitatum*, *de qua num.*
„ 3. ſed aliam propriam individualem talis tactus, ut relati ad
„ mulierem ſine ulla prorſus intentione libidinis. Sicut enim
„ differt individualiter licita delectatio, quam a viſione, & *odo-*
„ *re purpureæ roſæ* ſentis, ab ea quam ſentis *ab albo lilio*: ſic
„ differt delectatio pudica, quam capis a mera proportionata
„ pulcritudine vultus mulieris, ab ea quam caſte item ſumis a
„ quacumque alia pulcritudine, V. G. floridi campi ... *Quare*
„ *hæc non libidinoſa delectatio*, *licet inter naturales computari*
„ *poſſit*, tamen claritatis gratia eſt omnino diſtinguenda: nam
„ de hac maxime quæritur, an, & quomodo peccatum ſit, eam
„ voluntarie ſuſcipere. „ Revolvito Auguſtini, Chryſoſtomi, Baſilii, doctiorumque omnium Patrum opera, ne dicam Anacreontis, Plauti, Naſonis, & nihil adeo acutum, ſubtile, exquiſitumque offendes, Philoſophi axioma habent, quo aſſeritur ſupremum infimi tangere infimum ſupremi. Tamburinus in ſua ſpeculatione altius ingenii alas explicuit, inter ipſa extrema media, quæ alios latuere, adinvenit. Actus, inquit, ut aſpectus, locutio, tactus, oſculum manus mulieris, aliquando ordinantur ad generationem, aliquando ſecus; & dum non ordinantur ad generationem, ſuam pariunt delectationem, non naturalem, & ſenſitivam tantum, ſed paullulum ſapidiorem, quæ tamen libidinoſa non eſt, ſed eſt non *libidinoſa*. *Ille tactus*, inquit Tamburinus, *pariet in tangente ſuam delectationem*, *non quidem illam ſolam naturalem ex proportione qualitatum*, *ſed aliam propriam individualem*. Quid, quæſo te, eſt hæc *individualitas?* Hic vertitur difficultatis cardo. Reſpondet, hanc *individualitatem* ſitam eſſe in relatione ad mulierem. Diſtingue delectationem captam ex tactu manus mollis mulieris *ſpecificative*, & ex tactu mulieris *reduplicative* ut mulieris. Hæc *relatio* ad mulierem, ut mulierem, parit, inquit ille, ſuam individualem delectationem. Non ne differt delectatio, quam percipis ex odore purpureæ roſæ, a delectatione, quam captas ex albo lilio? Adhuc ſubobſcura, & implicata videntur hæc omnia. Si ſubtilia nimis tibi ſunt, & acuta, uſus & praxis te plura docebunt. A qua tamen & praxi, & doctrina Tamburiniana Deus te cuſtodiat. Tandem, paucis interjectis, concludit, hanc delectationem

non

Digitized by Google

non libidinoſam eſſe peccatum veniale. *Omnes actus* (inquit) *tactus, aſpectus, allocutio mulieris ..... ſi pariant illam delectationem non libidinoſam, eaque delectatio aſſumatur quidem, ſed non ad ullam libidinem veneream, ſolum cum peccato veniali aſſumetur*. Plurima alia ibidem habet Tamburinus. Ob inventionem mirificæ diſtinctionis ſibi magnopere plaudit. Dolet, P. Sanchez hanc ignoraſſe diſtinctionem, & confudiſſe *delectationem non libidinoſam* cum naturali. Advertit tamen hanc eidem ſuboleviſſe. Ah! Si viveret, inquit, P. Sanchez, de mea interpretatione feſtive gauderet. Hac quippe admiſſa, opus minime fuiſſet illa retractatione, qua in *Sum. lib.* 5. *c.* 6. *n.* 12. declaravit, nullam dari materiæ parvitatem in libidine. *Mea interpretatio ... ſi viveret* Sanchez, *ei non diſpliceret. Non nemo ſuſpicatur, eam retractationem non eſſe Authoris, ſed ſuppoſititiam, vel certe illi involuntariam. Ego huic ſuſpicioni, ſi vera eſt, addo, ſatis fuiſſe Authoris mentem declarare, ut ego conatus ſum, quam illum pronuntiare ſua dicta retractaſſe.* Retractavit plurima a ſe ſcripta Auguſtinus, quin ſibi dedecori verterit. At ſimilis retractatio tenebras offunderet ſplendori P. Sanchez, qui in re uxoria illuſtranda cæteris palmam præripuit. Hac eadem diſtinctione interpretatur Tamburinus Decretum Sapientiſſimi P. Claudii Aquavivæ Propoſiti Generalis Inclytæ Societatis Jeſu, prohibentis docere, dari materiæ exiguitatem in venerea lue. Decretum iſtud, inquit Tamburinus, illis faceſſit negotium, qui meam ignorant diſtinctionem. Quoniam confundunt luxuriam cum re venerea. Etiam ne inter luxuriam, & rem veneream diſtinctio aliqua? Scilicet. Hoc diſcrimen ignorarunt priſci Patres, vetereſque Theologi. Sed docti juniores, qui rem Caſuiſticam ad perfectionis metam perduxerunt, ſcite hæc duo diſtinguunt. Hæ ſunt rancidulæ & conſuetæ impoſturæ Rigoriſtarum, adverſus doctos benignæ doctrinæ Theologos. Ita ne vero? Audi Tamburinum *loc. cit. n.* 9. Scio *priſcos Authores confundere luxuriam cum re venerea. Sed Nos Recentiores claritatis, & doctrinæ gratia modo dicto diſtinguimus*. Audiſtin'? Nos Recentiores ea perfuſi luce, eaque præditi doctrina, qua caruerunt priſci Authores, *claritatis, & doctrinæ gratia* diſtinguimus. Tamburinus, ut eſt acutus, & ſi methodum, ſcribendique rationem ſpectes, nemini Caſuiſtarum juniorum ſecundus, purpureis

Digitized by Google

roſis, albis liliis, floridis campis ſuam aſperſit orationem, atque diſtinctiunculárum calamiſtris luxuriæ putorem a pice venerea ſejungere tentavit primus.

VIII. Quorſum digreſſio adeo prolixa? Ut colligeres primum, quantum adlaborarunt, quantum ſudorum effuderint Recentiores, quo faverent hominibus nedum avaritiæ, ſed etiam luxuriæ ardore peruſtis: quo viam hactenus incognitam patefacerent delibandi concupiſcentiæ ſapores abſque culpa mortali, & cum ſola culpa veniali. Deinceps ut originem caſuiſticæ laxitatis obiter indigitarem. Siquidem tria delectationum genera, quæ latuerunt priſcos Authores, quæque longo ſtudio adinvenit Tamburinus, fuerunt *Noſtro* Caſuum *Interpreti* errandi occaſio. Intelligere haud quivit ille, qui fieri poſſit, ut rei carnali, & magnopere materiatæ applicari poſſit metaphyſica Scotica diſtinctio media. Secum quippe ratiocinabatur. Quid amabo eſt delectatio *hæc non libidinoſa*? Naturalis ſenſitiva? Minime. Libidinoſa? Neque. Quid ergo? Non libidinoſa. Sed *non libidinoſa* mera negatio eſt, quæ nihil bonis auribus prodit. Hoc devicto ratiocinio, & Tamburini deſtitutus acumine, aperte lapſus in errorem eſt. Tamburinus quippe declaravit, delectationem *non libidinoſam* revocandam ad naturalem eſſe, ſed claritatis gratia membrum iſtud, a Priſcis Theologis ignoratum, excogitavit. Interpres autem *Octo Caſuum* hac vice ſupra Magiſtrum vexillum erigere voluit. Nihil futilius is judicavit quam *per negativam particulam NON* carnalium ſenſuum oblectamenta explicare. Æſtuantem concupiſcentiæ ſitim per non potum mitigabis, aut reſtingues? *Poſitivæ delectationis* vinum propinandum eſt. At vinum iſtud proſtitutionis erit. Verum habet, niſi antidoto temperetur. Loco igitur particulæ *Non* collocetur *SUB*, & negotium concupiſcentiæ confectum eſt. Tamburinus concedit delectationem *non libidinoſam*; ego autem impertior humanæ infirmitati delectationem *ſublibidinoſam*, ſeu *ſubimpudicam*. Inter delectationem enim pudicam, & impudicam excogitavi clarius præ Tamburino tertiam *ſubimpudicam*. Quæ diſtinctio ſane nova cæteris quoque accomodari vitiis poterit. *Subſuperbia*, *ſubuſura ſubfurtum*, *ſubſimonia*, *& ſic de ſingulis*. Obiter poſtulo, ut explicetur S. Pauli Apoſtoli textus inquientis ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis*, *quæ ſunt fornicatio*, *im-*

mun-

munditia, *impudicitia*, *&c.* ..... *qui talia agunt*, *Regnum Dei non poſſidebunt*. Impudici ergo, Paulo Judice, ad infernum deſcendunt. Et *ſub-impudici* quo ibunt? Ad Tartara? Obſtat præpoſitio *SUB*. In Cœlum? Impedit *impudicitia*. Quo ergo? In *ſub-Gehennam*.

IX. Indicata laxitatis ſcaturigine, erroneæ doctrinæ ſcandalum auferendum. Sub oculos itaque recurrant Interpretis Caſuum verba. *An reſervatione afficiatur qui cum Moniali peragat*, *vel attentet actus ſub-impudicos de ſe veniales*, *V. G. genas vellicare*, *mamillas tangere*, *&* *ſolum ex pravo affectu*, *vel ex prava intentione mortales*. Actio ergo eſt impudica, ſed temperata præpoſitione *ſub*. Verum, de voce miſſa lite, actum remque ipſam diſcutiamus. Deliberatus tactus mamillarum mulieris ex genere ſuo peccatum mortale eſt. Quam rationem prodis, ut hoc evincas? Senſum communem omnium Chriſtianorum: inſitum a natura pudorem: auctoritatem Scripturarum: Patrum, & Theologorum conſenſum. Duo priora probatione non egent. Quiſque enim intimo ſenſu, quodam perfundi pudore experitur, dum vel audit ſimilem tactionem in diſcrimen revocari. Ad Scripturas ſanctas quod attinet, iſtæ vel ipſos aſpectus, & familiaria colloquia vetant. *Virginem* (inquit Eccleſiaſtes cap. 9.) *ne conſpicias*, *ne forte ſcandalizeris in decore illius*. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt*: *&* *ex hoc concupiſcentia*, *quaſi ignis*, *exardeſcit* ... *ſpeciem mulieris alienæ multi admirati*, *reprobi facti ſunt*. S. Paulus Apoſtolus 1. ad Cor. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, hunc S. Pauli textum his verbis exponit. *Non dicit Apoſtolus*, *bonum eſt uxorem non habere*, *ſed bonum mulierem non tangere*, *quaſi &* *in tactu periculum ſit*, *quod qui illam tetigerit non evadat*: *nempe quæ virorum pretioſas animas rapit*, *&* *facit adoleſcentium evolare corda*. *Alligabit quis in ſinu ignem*, *&* *non comburetur*; *aut ambulabit ſuper carbones ignis*, *&* *non ardebit*? *Quomodo igitur qui ignem tetigerit*, *ſtatim aduritur*, *ita &* *viri tactus*, *&* *fœminæ ſentit naturam ſuam*, *&* *diverſitatem ſexus intelligit*. *Narrant &* *Gentilium fabulæ Mithram*, *&* *Erichthonium vel in lapide*, *vel in terra de ſolo æſtu libidinis eſſe generatos*. *Unde &* *noſter Joſeph*, *quia tangere eum volebat Egyptia*, *fugit ex manibus ejus*, *&* *qua-*

Digitized by Google

& quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis, ne paulatim virus ſerperet, pallium quod tetigerat abjecit.

X. Si Scripturæ ſanctæ adeo ſevere prohibent vel ipſos frequentes aſpectus, & familiaria colloquia mulierum; quo, amabo te, rigore prohibebunt genarum vellicationes, & vicinarum partium tactus? S. Apoſtolus Paulus, Hieronymo interprete, quemcumque fœminæ tactum vetat, ut periculi plenum; quanto non damnabit rigore fœminei pectoris tactionem? Sed quod ad rem noſtram propius accedit, eſt, quod Divinæ Scripturæ graviſſime jubent, ut mulieres ubera abſcondita deferant. Iſajas *cap.* 3. inquit: *Erit pro criſpitanti crine calvitium, pro faſcia pectorali cilicium.* Item Jeremias cap. 2. *Numquid obliviſcetur Virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ.* Faſcia hæc ſtrophium etiam vocabatur, ut advertit Nonnius. Ejuſdem uſus erat, Hieronymo teſte, ut nuda pectoris verecunde tegerentur, & ne papillæ nimis turgerent. *Hinc* (inquit P. Albertus de Albertis in Paradox. Moral. diſp. 3. cap. 1. §. 1.) *ſine faſcia, aut zona mulier pro impudica, vel certe non Virgine habetur: quod nullum certius argumentum impudicitiæ ſit in fœmina, quam impudentia. Impudentia autem nulla major in illa, quam mamillas exertas oſtendere.*

XI. Patres omnes pectoris muliebris nuditatem tamquam impudicitiæ argumentum execrantur. Tertullianus non modo hanc fœminarum impudentiam diris devovet; ſed morem, & conſuetudinem, quam in tantæ corruptelæ patrocinium jactant Recentiores, omni argumentorum genere convellit, exploditque *lib. de veland. Virg. cap.* 16. *Conſiſtit defenſio noſtræ opinionis ſecundum ſcripturam* (audiant Caſuiſtæ) *ſecundum naturam, ſecundum diſciplinam. Scriptura legem condit, natura conteſtatur diſciplinam. Cui ex his conſuetudo opinionis prodeſt, vel qui diverſæ ſententiæ color eſt? Dei eſt ſcriptura, Dei eſt natura, Dei eſt diſciplina. Quidquid contrarium eſt iſtis, Dei non eſt. Si ſcriptura incerta eſt, natura manifeſta eſt, & de ejus teſtimonio ſcriptura incerta non poteſt eſſe. Si de natura dubitatur, diſciplina, quid magis Deo ratum ſit, oſtendit. Nihil eſt illi carius humilitate, nihil acceptius modeſtia ... oro te ſive mater, ſive ſoror, ſive filia virgo, vela caput. Si mater propter filios, ſi ſoror propter fratres, ſi filia propter patres. Omnes in te ætates*

peri-

Digitized by Google

periclitantur .... ſed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quæ in nuptias incidiſtis, ne ſic a diſciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non poteſtis, alio modo deſtruatis, neque tectæ, neque nudæ incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, ſed colligant a fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput eſt, nudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſque demiſſis crebro tenus operiuntur .... Sciant quia totum caput mulier eſt. Limites, & fines ejus eouſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, & cervices quoque ambiantur .... Judicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ ſint dimidia frui luce, quam totam faciem proſtituere. Plurima alia, quæ ibidem habet Tertullianus, miſſa facio.

XII. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagog. cap. 2. *Nullo modo prætermittendum eſt mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur.* S. Hieronymus Epiſtola ad Demetriadem. *Illa tibi ſit pulcra, illa amabilis, illa habenda inter ſocias, quæ ſe neſcit eſſe pulcram, quæ negligit formæ bonum: & procedens ad publicum, non pectus, & colla denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit; ſed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ neceſſarius eſt, patente ingreditur.* Cypriani, Baſilii, Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimonia ſileo. Nemo illorum muliebris pectoris tactus vel meminerunt, quod ſit actio natura ſua nimium turpis. Quemcumque tactum vel manus mulieris, neceſſitate ſublata, damnant ut tentationis incitamentum, ſicut ſcribit Hieronymus *Epiſt. de ſuſpect. contuber. Dabit tibi barbatulus quilibet manum, ſuſtentabit laſſam, & preſſis digitis aut tentabitur, aut tentabit.* Iterum acriter invehitur in ſcopuloſam illam muliebrem nuditatem, vanitatiſque illicium. *Caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat. Papillæ faſciolis comprimuntur, & criſpanti cingulo anguſtius pectus arctatur. Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt. Paliolum interdum cadit, & quaſi videri noluerit, celat feſtina, quod volens detexerat.*

XIII. Ex his Scripturarum, & Patrum teſtimoniis hanc conficio argumentationem. Scripturæ Divinæ, ſanctique Patres damnant

in

Digitized by Google

in fœminis exquiſitum vanumque ornatum, qui modeſtiæ, & pudoris confinia tranſiliat. Damnant tamquam proſtitutionis fomentum colla, & pectus denudare. Improbant iſtarum aſpectum. Ergo ſeveriori jure execrantur contactum. Reſpondet P. Leſſius *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 14. *n.* 112. Scripturas, & Patres deteſtari, ut gravis ſcandali plenum ornatum illum adeo immodeſtum, ut *ſi quis uteretur veſte adeo tenui, vel ita conformata, ut per eam pudenda non ſatis tegerentur*. Næ egregium interpretamentum! Alii Probabiliſtæ reſpondent, præfata omnia improbari a Scripturis, & Patribus ut peccata venialia, ſecus ut mortalia. Hoc inane commentum his verbis labefactat Dionyſius Carthuſianus *tom. ... opuſc. in director. vitæ Nobil. ar.* 14. *Sancti Patres, & glorioſi, illuminatiſſimique Doctores, contra ornatum exquiſitum, curioſum, ſuperfluumque veſtitum tam rigoroſe non ſcriberent, niſi in eo mortalem culpam exiſtere judicaſſent. Venialia quippe peccata talem reprehenſionem, & condemnationem non promerentur ... Denique Apoſtolus jubet:* mulier debet habere velamen ſuper caput ſuum propter Angelos, *ideſt Sacerdotes, & Clericos, ſpiritualeſque viros, ne cadant per eam*.

XIV. Sed miſſis Patribus, & Scripturis, argumentationem factam confirmare lubet auctoritate recentium Probabiliſtarum. Convenit penes omnes muliebris pectoris nuditatem, ſi præter conſuetudinem ſit, lethalem eſſe. Omnes mortalis flagitii damnant mulierem illam, quæ in Civitatem quampiam hunc abuſum ſcandali plenum inveheret prima. Ergo potiori jure mortalis ſceleris ſontem declarat, qui longe graviorem corruptelam, qualis eſt fœminei pectoris tactio, introducit. Omnes ad unum fatentur tactum potentius, efficaciuſque, præ ſolo aſpectu, concupiſcentiam provocare. Ergo, ſi fatentibus inſignioribus Probabiliſtis omnibus, peccant mulieres, niſi conſuetudo excuſet, viſenda efferentes ubera; enormius peccant eadem tangenda præbentes. Quid ad hæc? Obtinet ne conſuetudo alicubi ſimilia (pudet enim tam ſæpe partes illas appellare) tangendi? Nemo id affirmabit. Ergo luculentiſſimum eſt, ipſorum Probabiliſtarum conſenſu, peccare mortaliter qui talia peragit.

XV. Hactenus argumentationibus extrinſecus arceſſitis laxam refutavi opinionem. Propius nunc illam convellere juvat. Duo ſpe-

ſpectanda in quaque actione: natura, & finis. Et ad primum quod attinet, talium partium tactus natura ſua magnopere delectabilis eſt. Concors eſt omnium Medicorum, & quod plus eſt, earumdem mulierum ſententia, hunc tactum vehementer libidinem accendere tum in muliere tacta, tum in homine tangente. Intimam ex earumdem partium qualitate rationem arceſſitam latius exponere pudor vetat. Si finem iſtius actionis ſpectemus, evidentius malitia apparet. Partes iſtæ non ad tactum, ſed ad lactandum infantes inſtitutæ ſunt. Neque tactus iſte arbitrarius, nulla premente neceſſitate, dirigi in finem honeſtum poteſt. Vultus nuditas, ut mutuo dignoſcantur perſonæ, permiſſa eſt. Oſculorum uſus alicubi obtinet in reciprocæ benevolentiæ teſtimonium. Eodem pertinere tactus manus poteſt, vel ad ſuſtinendum laſſum debileque brachium. Et tamen vel ipſum manus muliebris tactum in diſcrimen laxiores Caſuiſtæ revocant, docentque, hunc tactum ex ſola levitate eſſe peccatum veniale, etiam ſi nulla adſit delectatio impudica, ut advertit Cardenas *tract.* 5. *diſp.* 45. *cap.* 3. Tactus autem pectoris, nullus, præter voluptatem impudicam, honeſtus finis. Quid, quod ipſe Interpres fatetur, tactionem ejuſdem impudicam eſſe, ejuſque impudicitiam temperat addendo præpoſitionem *ſub*. Ergo delectatio hunc tactum conſequens eſt impudica. Dicat nunc nobis, unde didicerit ipſe lineas deſignare, & fingere tactum *impudicum* inter, *&* *ſubimpudicum*? Unde libram acceperit adeo exactam, qua delectationis iſtius gradus veniales, ſeu leves ponderare, & ſecernere a mortalibus valeat? Difficilior ſane eſt lineæ iſtius deſignatio, quam linea depicta ab Apele ſuper Prothogenis lineam. Tandem quicumque gravi mortalis culpæ periculo ſeſe committit, lethaliter peccat. Atqui tactus ejuſmodi graviſſimi periculi ultra progrediendi, tam reſpectu perſonæ tangentis, quam alterius patientis tactum, plenus eſt. Ergo quicumque illum deliberate peragit, vel patitur, lethaliter peccat. Probo ſecundam propoſitionem. Delectatio ſubimpudica conſequens ejuſmodi tactum, natura ſua lubrica abripit in gravem delectationem. Ex alia parte in hominis captantis delectationem poteſtate conſtitutum non eſt, præfigere lineam magnitudinis, aut pravitatis, ultra quam indomita concupiſcentia non tranſiliat. Idque pluribus, ſi opus eſſet, exemplis confirmari poſſet.

Velociter per glaciale clivum deſcendenti liberum ne eſt, lineam deſignare certam, ultra quam curſus non progrediatur? Porro appetitus ſenſualis per lubricum clivum concupiſcentiæ ita celere ad venerea percurrit, ut aliquando vel nolentem in diſpendium ſeminis præcipitet. Ergo, quicumque præfato tactu in tantum periculum deliberate ſe conjicit, peccat mortaliter.

XVIII. Quid quod ipſæ mulieres hominum infirmitatis, & propenſionis conſciæ, partes illas viſendas offerunt, quod ad placendum idoneas, & ad homines demulcendos, ſibique devincendos dignoſcant. Natura ſuperbæ ſunt, & cum non habeant nec plauſum litterarum, nec militarem fortitudinem, nec civilem poteſtatem, nec Præfecturas, aliosve gradus, unde ſuperbire, & extento incedere collo poſſint; eo ſtudia ſua collineant, ut homines illiciant, irretiant, ſibique ſubjiciant. Porro, ut ſunt in arte hominem dementandi vaferrimæ, & experientia norunt præfatam nuditatem, & eo magis tactum, vi pollere efficaciſſima ad homines emolliendos; idcirco pectora etiam frigidiſſimo hyeme viſenda oſtentant: & quamvis plures ultra progredi prorſus reſpuant; attamen, quia impotenti ardore deperiri cupiunt, ſuſpici, appeti: ut huic genio litent, frigoris tormenta ſpernunt, pudoris, verecundiæ, atque modeſtiæ limites infringunt, rei familiaris jacturam faciunt, latera arctant, ut pectus turgeat, utque his lenociniis, & præſtigiis homines excantent. Perdoctus P. Michael Elizalde, Tamburini, Terilli, aliorumque Caſuiſtarum accerimus refutator, plura adverſus hanc mulierum nuditatem ſcribit; quibus miſſis, hæc pauca tranſcribo, quæ licet ſcopum noſtrum directe non attingant, tamen apprime declarant, quanto mulieres ob ſcandalum, quod præbent, periculo obnoxiæ ſint. Inquit ergo *lib.* 8. *p.* 5. §. *9*. ,, Olim quidem ,, ego cum doctiſſimo Quiz de Montoja, & aliis, exiſtimabam ,, plures mulieres, quam viros, ſalvari, ex pari numero; quia ,, nec Magiſtratus, nec Præfecturas gerunt, neque alia, pro- ,, pter quæ multi homines pereunt. At poſtquam illa mulie- ,, rum vanitatem, & ſuperbiam, hominibusque placendi maxi- ,, mum appetitum, & inde captam gloriam conſideravi, pluri- ,, mum dubitare cœpi: & ipſæ ſæpe ſuo luxu, veſtiumque pro- ,, fanitate, & Maritis, & Reipublicæ exitii cauſſa maxima eſſe ,, ſolent. Si igitur, ut dicebat Hieronymus, quiſquis aliquid

,, ita

Digitized by Google

,, ita facit, ut videatur ab hominibus, Scriba eſt, & Phariſæus: iſtæ quid erunt, quarum hoc fere eſt unum negotium, ,, ut bene videantur, ac placeant, & quantum ipſæ poſſunt, ,, opere ipſo moveant, illiciant, impellant, & ſic triumphent?,, ,, Porro, ſi lethaliter mulieres, Patrum & graviorum Theologorum conſenſu, delinquunt ubera conſpicienda deferentes: eo ſane gravius, certiusque peccabunt, ſi eadem tangenda præbeant, quo efficacius aſpeɫtu ad venerem taɫtus incitat. Immo, ne rem certiſſimam diſputando dubiam efficiam, etiamſi vel ob conſuetudinem, quam ego voco corruptelam, vel ob alia momenta, uberum nuditas culpa careret; tamen earumdem deliberata contreɫtatio, omnium non Patrum modo, & Theologorum, ſed omnium Probabiliſtarum conſenſu, lethaliter criminoſa eſt.

XIX. Perſpicua ſunt, & luculenta quæ diximus: evidentiora vero, atque graviora, quæ nunc ſubjicimus. In morum controverſiis non rerum natura tantum, ſed omnes vel minutæ circumſtantiæ, quæ illam comitantur, magnopere ſpeɫtandæ. Si abſolutus mammarum taɫtus genere ſuo mortalis eſt, quid ſi aliis lenociniis, & illecebroſis blanditiis ſit aſſociatus? Quis tum a graviſſima malitia depurgabit? Atqui reapſe noſter Caſuum Reſervatorum *Interpres* in exemplar venialis noxæ non ſimplicem proponit taɫtum, ſed aliis præviis obleɫtamentis, & voluptatibus aſperſum, paratumque exhibet. Inquit ergo: *qui cum Moniali peragit aɫtus ſubimpudicos de ſe veniales, V. G. genas vellicare, mamillas tangere*. Singula diſpiciamus. Vis illius verbi *vellicare* expendenda eſt. *Vellicare* hic idem valet, ac blandiri, permulcere, ſuaviter irritare, vulgo *pizzicare, accarezzare*. Quærunt Theologi, ut diɫtum eſt, num vellicare manum, pedem, aut digitos torquere mulieris, peccatum lethale ſit? *Interpres* noſter ultra pergit, & genas ipſas, quæ ſunt & venuſtior, & nobilior corporis pars, vellicandas, blandiendas, permulcendas proponit. Genarum vellicationi conſociat mamillarum contreɫtationem. Si hæc *diviſive* venialia ſunt, etiam *colleɫtive*, & *copullative*, ut illius tertio monito ſupra relato vidimus, venialia erunt.

XX. Sed tandem potiſſima iſtius ſententiæ particulam expendamus. Ejusmodi ſubimpudicitia exercenda ne eſt cum meretricula, cum uxorata? Minime. Qua cum ergo? Cum Virginibus

Chriſto Jeſu in conſpectu Eccleſiæ ſolemni ritu deſponſatis, quæ, ut illibatum caſtitatis florem ſartum tectumque cuſtodiant, perpetuo ſe includunt carcere, & virginalia ubera ſacro velo abſcondita, lanciſque compreſſa, oculorum procacitati ſubducunt. Et Caſuum Reſervatorum *Interpres* docere libro typis edito non erubeſcit, absque lethali flagitio licere Chriſtianis iſtarum Virginum genas vellicare, ſimulque diſcerpto, ſeu contempto hoc velo, ſacrilegas protendere manus ad earumdem ubera tangenda? Quis hæc audit, & non perhorreſcit? Quid, ſi Judices atque Cuſtodes Virginum Veſtalium, quarum aut alloquium, aut familiarem aſpectum ſevero plectebant ſupplicio, tam propudioſa de conſacratis vero Deo Virginibus commenta audirent? Valeant nunc Caramuel, Diana, Tamburinus, & laxioris Caſuiſticæ ſcientiæ Patroni. Cedo. Auderes ne ſolo ſermone pudoratis Virginibus narrare quæ typis edidiſti? Et quod nec loqui licet, opere complere permittis citra gravem culpam? Cedo alterum. Si ſacratæ Deo Virgines tumentia ubera conſpicienda oſtentarent, a crimine ne eaſdem abſolveres? Nam ſi Patres & graviores Theologi vel in ipſis mulierculis tantum ſcandalum damnant, ut oſtendimus; non puto Caſuiſtas illud licitum, & tamquam manifeſtum caſtitatis votæ monumentum Monialibus aſſerere. Quod ſi Virgines conſacratæ, ne peccent, oculis hominum ſua ubera occultare tenentur; quod ſcelus non perpetrabunt qui in theſaurum hunc abſconditum manus intrudere ſacrilegas auſint? Verum loquatur Hieronymus, qui Sabinianum Diaconum Sanctimonialis Monaſterii Behetlemitici procacem amatorem hoc pacto increpat: *Paveo miſer, & tam mente quam corpore perhorreſco ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum. Tu inter oſtia quondam Præſepis Domini, nunc Altaris, amatorias Epiſtolas fulciebas, quas poſtea illa miſerabilis, quaſi flexo adoratura genu, inveniret, & legeret. Et ſtabas deinceps in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris. Proh nefas! non poſſum ultra progredi. Prorumpunt lacrimæ, antequam verba, & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ: ubi tumens fluvius Demoſthenis? Nunc profecto muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum eſt facinus, quod nec mimus fingere, nec ſcurra ludere,*

nec

Digitized by Google

nec Attellanus poſſit effari. Non me fugit Sabinianum, præter impudicos aſpectus, quos deteſtatur Hieronymus, quid ſceleſtius cum Virgine perpetrandum animo volviſſe. Sed quis Virginis genas vellicabit, permulcebit, ſimulque ubera ejuſdem tanget, & Sabinianus ſacrilegus non erit? Quid, quod ſi res penitius ſpectetur, *Diſſertatoris* noſtri doctrina pejor eſt Sabiniani facinore. Aſpectus, & tactus impudicos Sabinianus attentavit. At non negabat ejusmodi eſſe peccata. Senſu, non mente peccavit. Si declamat Hieronymus adverſus reum peccata confitentem; quæ non detonaret, ſi noſtro viveret ſeculo, adverſus Caſuum Reſervatorum *Interpretem*, qui ſubimpudicos uberum ſacratæ Virginis tactus a crimine purgat, verſata unaque craſſa additione unius præpoſitionis *SUB*? Impudicas dixerunt mamillarum contrectationes Priſci Patres. Nos Recentiores, inquit *Caſuum Interpres*, ſub-impudicas illas appellamus. Idcirco a mortali culpa innoxias aſſerimus.

XXI. Dolebit fortaſſe Caſuum Diſſertatori, quod declamatorio ſtylo cauſam agam. Sed injuria. Doctrinam ille vulgavit non diſputandam, ſed damnandam, execrandamque. Stylo ne æquabili, & blando veneris lutum verſabimus? Tamen, ſi velit, ut preſſius, & paucioribus rem perſtringam, votis illius fiet ſatis, evincamque laxiſſimam opinionem prædamnatam ab Eccleſia eſſe. Ubinam? In ſequenti propoſitione, quam anathemate confixit Alexander VII. eſtque in ordine 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſualem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis*. Animadvertas velim in hac proſcripta propoſitione, ideo addita eſſe hæc verba *ob delectationem carnalem*, quia oſcula præberi poſſunt, & ſæpe præbentur in mutuæ benevolentiæ argumentum, & alicubi vim obtinent innoxiæ conſuetudinis Patriæ. Contra, muliebrium mamillarum contrectatio genere ſuo carnalis eſt. Nullum præter carnalem finem ſpectat. Dicent ne Eruditi Juniores, alicubi tactum mammarum in more caſto poſitum eſſe? Negabunt ne, oſcula valde eminus natura ſua, quam mamillarum tactus venerem commovere? Accedit, quod delectatio carnalis, & ſenſualis propoſitionis damnatæ, licet juxta communem ſenſum pro libidinoſa accipiatur; tamen cavillari quis poſſet, delectationem

car-

Digitized by Google

carnalem ob naturalem carnis, & ſenſualem ob ſenſus contactum nuncupari. Ergo delectatio *impudica* clarius libidinis malitiam prodit. Particula *ſub* minuit, at non extrahit ab impudicitiæ genere *delectationem impudicam*. Si præpoſitio *ſub* tanta vi polleret, ut contrectationem mammarum a gravi flagitio defæcaret, omnes impudicitiæ cum Virgine peractæ excuſari a gravi culpa poſſent præter fornicationem, & pollutionem, dummodo abſit prava affectio. Damnavit Eccleſia *Probabiliſticam opinionem* excuſantem a mortali crimine delectationem carnalem oſculo perceptam, etiam ſecluſo periculo ulterioris conſenſus. Ergo præjudicavit, prædamnavitque laxiorem *Diſſertatoris* opinionem excuſantem a lethali ſcelere delectationem captatam ex vellicatione genarum, & ſimultaneo mamillarum tactu. Delectatio propugnata ab *Interprete* ſacrilega eſt, quia cum perſona ſacra peracta: Simplex illa ab Alexandro proſcripta. Demum *Probabiliter* tantum propoſitio damnata a mortali culpa vindicabat carnalem oſculi delectationem; *Caſuum Interpres* tanquam ſententiam extra diſputationis aleam conſtitutam vendicat delectationem mamillarem: illam in exemplum proponit culparum *de ſe* venialium: Qui cum Moniali attentat *actus ſub-impudicos E. G. genas vellicare, mamillas tangere*. Clarius ergo, ſeveriuſque vi ratiocinii manifeſti damnata eſt hæc *Caſuum Diſſertatoris* opinio.

XXII. Quid, quod vel ipſe P. Dominicus Viva, damnatarum propoſitionum æquo benignior interpres, in proſcriptæ theſis commentariis *n.* 1. narrat, Clementem VIII., & Paulum V. juſſiſſe, denunciandos eſſe Fidei Quæſitoribus aſſerentes in oſculis, & tactibus abſque prava intentione ob delectationem carnalem habitis, non contineri lethale crimen. Refert ibidem, P. Thomam Sanchez retractaſſe ſuam laxam opinionem de materiæ parvitate in re venerea. Quam retractationem, aut ſuppoſititiam, aut invitam aſſerit Tamburinus, ut ſupra vidimus. Hæc ſunt verba P. Viva *n.* 1. *Sanchez cum communiſſima D. D. oſtendit, oſculum ob delectationem carnalem habitum, nec non amplexus, & tactus eſſe mortalia, adeo ut Clemens VIII. & Paulus V. juſſerunt, denunciandos eſſe Inquiſitoribus Fidei aſſerentes in illis non contineri crimen lethale*.

XXIII. Duo alia meditanda obiter exhibeo, ut ſcandalum gra-

Digitized by Google

graviſſimum putridæ doctrinæ deprehendas. Primum, quod Diſſertator in ſcriptiuncula foliorum quatuor hanc *ſubimpudicam* doctrinam evulgaverit. Si Caſuiſta in aliquo Theologico curſu ſimilia ſcriptutiret, erraret utique; at error, utpote in aliquo magno incluſus volumine, non adeo noxius populo eſſet. In libello autem omnibus pervio, & quaſi unico oculorum ictu legendo, tantum propinare venenum, ſcelus videtur undequaque graviſſimum. Alterum, quod delicti gravitatem auget, eſt, quod erroneam hanc doctrinam præter inſtitutum intrudere voluit. Siquidem in exemplum peccatorum venialium adducere poterat aliqua verba minus cauta, aut aliquem jocoſum manus tactum. Hæc ad ſummum rei explicandæ cauſa producenda fuiſſent. Quorſum igitur in exemplum protulit venialium culparum, vellicare ſacrarum Virginum genas, & tangere mamillas? Nulla iſtius exempli neceſſitas. Exempla opportuna preſto aderant. Nemo Caſuiſtarum vel laxiſſimus quid ſimile, ut mox dicam, commentus eſt. Cur itaque exemplum iſtud in ſcenam? Temporum ratio, reponere fortaſſe Interpres poterit, id magnopere poſcebat. Rigoriſtarum factio hac tempeſtate augetur in dies. Opiniones auſteriſſimas evulgat in qualibet materia, præcipue uſuræ, cupiditatis, & concupiſcentiæ. Hæ affectiones duæ ſunt, quæ maxime torquent genus humanum. Niſi uſurarum rigor laxetur, & moderatæ uſuræ permittantur: niſi concupiſcentia vehementer pruriens, atque ardens temperetur aliquibus *ſubvoluptatibus*, *ſubimpudicitiis*; impedimento ſunt, quominus Chriſtiani ad Sacramenta accedant. Et quod revera ita ſe res habeat, eruditiſſimus quidam noſtrum teſtatur, in ampliſſima Europæ Civitate Chriſtianos in Paſchate, paucis exceptis, a Sacramentis arceri. Ut igitur Sacramentorum frequentia vigeat, & Rigoriſtarum Schola decreſcat, & quoad fieri poteſt, evaneſcat; quo illi auſteriores, eo nos benigniores opiniones cudamus oportet. En tibi reſeratum arcanum, cur in exemplum peccatorum venialium protulerim genarum Virginum vellicationem, & mammarum contrectationem. Quid aliud reſpondere Interpres queat, non video.

XXIV. Illud nunc eſt reliquum, ut videamus, utrum Interpreti noſtro faveant ſaltem juniores Probabiliſtæ? Quod antequam præſto, ſciendum, *Interpretem* noſtrum a viris gra-

Digitized by Google

vibus admonitum fuiſſe, ut evulgatam laxiſſimam, & *ſubimpudicam* opinionem retractaret. At ille loco honeſtæ & chriſtianæ Palinodiæ Apologeticam adornavit Epiſtolam lingua Italica ſcriptam ad ſuum amicum Theologum, cui hæc præſcribit: *Mando a V. S. Reverendiſs. l' occluſa lettera contenente il mio ſentimento intorno al conſaputo caſo* (vellicare genas, tangere mamillas &c.) *acciocchè ella poſſa prevalerſene, moſtrandola a chi, e come la ſua ſaviezza giudicherà opportuno*. Sincere perſtringam omnia argumenta, quæ in ſuæ opinionis præſidium Interpres allegat. Primum opponit, diſſertationem ſuam, non a publicis modo Reviſoribus, verum etiam a pluribus aliis Theologis, antequam ederetur, fuiſſe recognitam, probatamque. 2. Elapſum fere annum eſſe, a quo in lucem prodiit: hocque tempore Confeſſarios Sæculares, & Regulares, Parrochos, aliosque altioris ſubſellii Eccleſiaſticos viros eamdem legiſſe, quin aliquis quidpiam muſſitaverit. 3. Errori obnoxium ſe fatetur; at facile, ſubdit, non eſt, ſe reipſa in hac diſſertatione erraſſe, quoniam 24. annorum ſpatio audiendis Confeſſionibus operam navavit ſedulam, itemque annos octo e cathedra docuit Moralem Theologiam, præter privatum ſtudium, in quod incubuit. Hæc ſunt argumenta a *priori*, & ex intimis cauſæ viſceribus eruta. 4. In ſui patrocinium adducit Cajetanum *Verb. impudicitia*, Navarrum *in Manual. cap.* 14. *n.* 42. Thomam Sanchez *de Matr. lib.* 9. *diſp.* 46. Bonacinam *de Matr. q.* 4. *punct.* 9. *n.* 11. Filliucium *tract.* 30. *n.* 200. Thomam Tamburinum *lib.* 7. *in Decal. cap.* 8. §. 2. Baſſæum *Verb. Impudicitia*, Reinffeſtuel *Theol. moral. tract.* 9. *diſſ.* 4. *q.* 7. *n.* 73. Hi Theologi omnes, inquit, duobus exceptis, ſuam ſententiam extendunt ad tactum mamillarum. 5. Nec refert, quod laudati Theologi *Monialium* non meminerint, quoniam quod ubera tangenda ſint Monialium, aliarumve mulierum, naturam tactus non immutat, ſed dumtaxat ſacrilegii ſpeciem adjicit. 6. Interpres vocat tactus ejuſmodi non impudicos, ſed ſubimpudicos, quoniam extrinſecus impudicitiam non præferunt, ut tactus verendorum. Poſtremo admonet, ut ſerio legatur tum diſſertatio, tum aliud ſuum itidem opuſculum inſcriptum *Praxis Tribunalis Pœnitentiæ*. 7. Si hæc præſtiteris, concludit, maturam prudentemque ſententiam rogabis, quin notam ſubeas aut temeritatis, aut inhumanitatis in aliorum doctrinis improbandis.

XXV. Exa-

Digitized by Google

XXV. Examen nunc recenſitæ Apologiæ inſtituendum. Et primum ad argumenta tum a Cenſorum publicorum, tum a domeſticorum Theologorum recenſione, & approbatione arceſſita, quod reponam non habeo. Ad cæteras demonſtrationes deductas ex praxi, & experimento audiendi Confeſſiones Fidelium *viginti quatuor* & amplius annos, & quindecim quidem in perampla Civitate, atque octo interpretandi e Cathedra Morum Theologiam, ſimiliter nullum repono verbum. Sunt enim hæc argumenta adeo feſtiva, & ſapida, ut lectorum quiſque valet eadem deguſtare, & ligurire, ſaporiſque judicium ferre. Ad Theologorum ergo examen ego accedo. Iſtorum nemo unus Interpreti favet. Quid? Erroneæ cauſæ accedit ne etiam mala in teſtium allegatione fides? De interiori animo, & intentione, quam piam, rectamque habuiſſe Interpretem ſentire nos convenit, quæſtio nulla. Sed quantum ex facto, mox demonſtrando, conſtat, aut mala fides, aut inſcitia in laudandis præfatis Theologis evidentiſſima eſt. Quod, ut evincam, ſingulorum verba tranſcribam, a primo initium ducendo.

CAJETANUS

Verbo Impudicitia.

XXVI. „ Scito non eſſe ſimile judicium de tactu, & viſu. „ Delectari enim in viſu pulcræ mulieris nullum peccatum eſt, „ niſi *ocioſe*, aut ad concupiſcendum videatur. Et ratio diverſi- „ tatis eſt, quia tactus ſuapte natura ordinatur ad concubitum, „ viſus autem minime. Hinc enim fit, ut conſentire in delecta- „ tionem ſenſibilem, *quæ eſt ſecundum tactum*, ſit conſentire in „ delectationem veneream. Voluntarie autem delectari de perſo- „ na quacumque pulcra viſa, licet non ſit venereum ſecundum „ genus ſuum, poteſt tamen, & facile, fieri venereum ex affectu „ videntis illecto, & tentato. „ Nec verbum ullum aliud, hoc ab Interprete citato loco, Cajetanus habet. Porro non modo tactus mamillarum non meminit, ſed principia conſtituit, quæ evidenter erroris plenam revincit *Interpretis* opinionem. De viſu, inquit Cajetanus, pulcræ mulieris poteſt quis delectari, niſi ocioſe fiat, ſed prout humanæ ſocietatis conditio fert. Qamquam autem viſus ejuſmodi genere ſuo non ſit venereus, cum ad diſtinguendas, cognoſcendaſque perſonas ſit inſtitutus; tamen facile libidinoſus evadit, ſi ob curioſitatem, & affectum intendatur. Tactus ratio omnino diverſa eſt. Delectatio ſenſibilis iſtius actus

Digitized by Google

non alio tendit, quam in generationem; ergo mortalis. Hanc doctrinam fuſius Gajetanus explicat 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 4. Nullibi vero vel in quæſtionem vocat, mammarum tactum eſſe peccatum mortale; ſed ut certum habet, ſuaque doctrina evincit, eo quod delectatio talis tactus natura ſua in generationem tendat.

MARTINUS NAVARRUS

In Manuali cap. 14. *num.* 42.

XXVII. Pluribus in locis Doctor hic ſermonem habet de tactibus mulieris. Materiam hanc fuſo calamo verſat *diſt.* 1. *de pœnit. cap. ſi cui, & in Manual. cap.* 16. Nullibi, niſi oculi me fefellerint, tactus uberum excuſat a mortali, quin nec ejuſdem meminit. Solum in *cit. Man. cap.* 14. ubi præceptum honorandi parentes exponit, præter inſtitutum, de iſto tactu loquitur. Si quidem num. 32. definitionem occaſionis prodit, his verbis: *occaſio faciens alterum peccare... definiri poteſt, eſſe omnis, & ſola illa, quæ eſt ſcandalum activum mortiferum, hoc eſt, quod qui eam dat, mortaliter dando peccat.* Et poſt prolixam iſtius occaſionis expoſitionem *n.* 42. narrat, per tranſennam, caſum ejuſmodi. *Diu, multumque dubitavi, an eſſet talis* (occaſio) *illa, quam quidam Sacerdos ante triginta annos mihi confeſſus fuit, ſe dediſſe admovendo, jocoſo, honeſtoque amore, abſque mala intentione, manus honeſtæ cujuſdam mulieris pectori, & ejuſdem mamillas tangendo: Cujus deciſionem numquam hactenus affirmare ſum auſus: nunc autem dico, mihi videri eam non eſſe talem, quia nulla pars prædictæ definitionis eam comprehendit, quando tactus ille ex ſua natura non tantum incitat ad peccatum mortale, ne quaſi ſemper mortaliter peccare faciat perſonas, quæ ſunt ejuſmodi qualitatis, quando, ut dixi, jocoſe fit: quamvis ſi ſerio fieret, aliud dici deberet.* Hactenus Navarrus, nec verbum aliud habet.

Quid ex his *Interpretis* noſtri opinioni favet? Jocoſum, & fortuitum mamillarum tactum a Sacerdote peractum Navarrus deſcribit. De hoc jocoſo tactu *diu multumque dubitavit* eſſet ne mortalis occaſio. Hoccine tibi patrocinatur? Addit: *Cujus deciſionem numquam hactenus affirmare auſus ſum.* Triginta annorum ſpatio (ſex ſupra 24.) aqua hæſit Navarro ſuper hoc caſu tactus jocoſi, & præter intentionem. Poſt tam diuturnam meditationem inquit: *Nunc autem dico, mihi videri eam non eſſe talem, quia nulla pars prædictæ definitionis eam comprehendit.* Definitio, quam

Na-

Navarrus *cit. n.* 32. eſt occaſionis ſerio, & *cum intentione aut principali, aut minus principali inducendi ad peccatum mortale* datæ. Nulla pars, inquit Navarrus, iſtius definitionis convenit mamillarum tactui jocoſo, & abſque intentione peracto. Et ad hoc quod attinet, verum dicit. Eſt ne hic quidquam, unde præſidium arripere *Interpres* queat? Concluſionem Navarri repetamus. *Quando, ut dixi, jocoſe fit: quamvis ſi ſerio fieret, aliud dici deberet.*

Non modo itaque Navarrus Interpreti non adhæret, ſed ejuſdem opinionem prorſus improbat, ejuſque aut malam fidem, aut oſcitantiam damnat. De caſu fortuito, quem Navarrus proponit, triginta dubitavit annos; & Interpres hinc arripit regulam generalem abſolutamque? Navarrus loquitur de tactu jocoſo; & Interpres abſolute, & indefinite quemcumque tactum comprehendit? Tandem *Interpres* noſter in laxitatis complementum, a nemine excogitatum, in exemplum peccatorum venialium abſolute, & indefinite, & tamquam veritatem certiſſimam extra diſputationem conſtitutam, profert *vellicare genas, & tangere mamillas ſacrarum Virginum?*

P. THOMAS SANCHEZ

De Matrim. lib. 9. diſp. 46. num. 10.

XXVIII. „ Si amplexus, & oſcula, & tactus hujuſmodi non „ omnino turpes, & impudici, ſolum habeantur joco, cauſa va„ nitatis, vel levitatis, vel alia ſimili, abſque delectatione vene„ rea, & ſi inde conſurgat, ea repreſſa, non excedunt culpam „ venialem, *quia cenſetur parvitas materiæ...... Et idem dicit „ Navarrus ſumma latina cap.* 14. *n.* 42. *verſ.* 19. *de tactu ma„ millarum fœminæ habito a viro jocoſe, & abſque alia prava de„ lectatione. Quia turpiores tactus ſunt oſcula, & amplexus, ut docet „ Gregorius Lopez lib.* 1. *verbo conſciar. tit.* 14. *par.* 2. *Quod bene in„ telligit Navarr. eo cap.* 14. *n.* 42. *verſic.* 19. *dummodo ſint tactus „ illi inter perſonas, quæ inde ad peccatum mortale non incitentur.* „

Tametſi P. Sanchez fibulas laxavit in hac materia, & hoc ipſo loco *n.* 9. docuit cum eodem Navarro, dari in delectatione venerea parvitatem materiæ, quam ſententiam, aut vi, aut ſponte retractavit; tamen non eo laxitatis lapſus eſt, ut a peccato mortali purgaverit tactum mamillarum fœminæ, nedum Virginis ſacratæ. Solummodo ergo ſententiam Navarri exſcribit de tactu *joci, & levitatis* cauſa peracto: Immo ex Gregorio Lopez addit, dictum Navarri intelligendum eſſe, *dummodo ſint tactus illi inter perſonas, quæ*

inde ad peccatum mortale non incitentur. Quales eſſent illæ, quæ, ut ſcribit Hieronymus *Epiſtol.* ad Heliodorum, *laxis uberum pellibus, & arata rugis fronte, antiquum referentes mammæ lallare, congeminant*. Sanchez ergo tantum exſcribit opinionem Navarri, eamque ex Lopez eam coarctat ad perſonas, quæ ex tali tactu non incitentur ad peccatum mortale.

MARTINUS BONACINA

De Matrim. quæſt. 4. *punct.* 9. *n.* 11.

XXIX. Quæres ſecundo, utrum levis tactus manuum, vel pe„ dum fœminæ, aut vellicatio, aut digitorum intorſio ſit pecca„ tum mortale. Reſpondet Sanchez ... regulariter loquendo non „ eſſe peccatum mortale. Nam hujuſmodi tactus potius fiunt ex „ levitate, & joco, quam ex delectatione venerea. Ob id Na„ varrus, & Filliucius a mortali excuſant virum, qui fœminæ „ mamillas *jocoſe* attingit abſque prava delectatione. „ Bonacina refert ſententiam Navarri, & Filliucii de tactu jocoſo, ut explicatum eſt, & nec verbum habet, quod *Interpreti* noſtro faveat.

P. VINCENTIUS FILLIUCIUS

Tract. 30. *num.* 200.

XXX. „ Sicut neque Navarrus cap. 14. n. 42. damnat vi„ rum, qui fœminæ mamillas jocoſe abſque alia prava delibera„ tione contingeret. „ Exſcribit Filliucius opinionem Navarri, quæ, ut declaratum eſt, non favet Interpreti. Sileo, quod Filliucius, aliorum Caſuiſtarum more, ex facti peculiaris excuſatione a Navarro facta colligat regulam generalem jocoſe tactum præfatum citra gravem culpam exercendi.

P. THOMAS TAMBURINUS

Lib. 7. *Decalogi cap.* 8. §. 2.

XXXI. „ Tangere manum, faciem, brachia, pedes, *& ex* „ *Navarro etiam mamillas mulieris*, ſi fiant inter ſolutos, de qui„ bus hic, & in ſequentibus agimus, ex joco, curioſitate, levi„ tate, nihil habent mali præter ipſum jocum. „

Tamburinus hic dumtaxat Navarri ſententiam adducit. Non ergo docet ipſe, tactum mamillarum, & quidem Monialium, abſolute, & indefinite eſſe venialem culpam; ſed, ut dixi, narrat caſum fortuitum tactus præteriti, quem Navarrus poſt diuturnam me-

meditationem excuſavit a culpa gravi. Neque ergo vel ipſe Tamburinus, tametſi Probabiliſticæ benignitatis præſervidus defenſor, & promotor, patrocinatur laxiſſimæ opinioni *Diſſertatoris* noſtri.

ELIGIUS BASSÆUS

Tom. 2. *Verbo Impudicitia n.* 8.

XXXII. „ *Navarrus* non damnavit virum, qui fœminæ ma„ millas *jocoſe* abſque alia prava delectatione tangeret. *Contraria* „ *tamen ſententia*, quæ generaliter tactus, & oſcula ob pericu„ lum peccati mortalis ſub mortali cenſet vitandos eſſe, practice „ loquendo *Probabilior eſt*. „

Baſſæus Ethices alioquin laxioris Author refert ſententiam Navarri excuſantis tactum præteritum joco, & abſque prava intentione habitum: & tamen huic ſententiæ non ſubſcribit, ſed contrariam ut probabiliorem amplectitur. Quid diceret de tactu ſerio, & deliberato mamillarum Monialis?

ANACLETUS REIFFENSTUEL

Tract. 9. *diſt.* 4. *quæſt.* 7. *n.* 73.

XXXIII. „ Ex eadem cauſa neceſſitatis excuſatur tactus, ſeu „ fricatio propriorum pudendorum ad ſedandum pruritum in illis „ partibus quandoque vehementius conſurgentem, &c. „

Nec verbum de tactu mamillarum Author iſte habet ſive loco ab *Interprete* citato, ſive in tota illa quæſtione. De tactibus, & oſculis, & amplexibus, ſi fiant ex animi levitate, & joco, aſſerit per ſe loquendo venialem culpam non excedere. De mamillarum vero tactu, & de genarum vellicatione altum ſilentium.

XXXIV. Palam huc uſque feci, neminem ex laudatis Caſuiſtis abſolute laxam *Interpretis* opinionem docere. Cæterum non propterea eos excuſo, quin aperte aſſero, & minus illos ſincere *Navarri* opinionem exſcripſiſſe, & laxius eamdem propagaſſe. *Navarrus*, ut demonſtratum eſt, poſt triginta annorum ſtudium, factum fortuitum, & præteritum excuſavit, minime regulam indefinitam conſtituit. Hanc Regulam ſtatuerunt poſteriores Caſuiſtæ, & minus ſincere eam Navarro affinxerunt. P. Patritius *Sporer*, qui ſe diſcipulum jactat Sanchez, Tamburini, Eſcobarii, quos *ſuos* vocat, præ cæteris hanc opinionem laxavit in *Theol. Sacram. par.* 4. *cap.* 3. *ſect.* 4. *q.* 1. *n.* 686. ubi hæc ſcribit: *Unde vides merito jam ſupra conceſſum aſpectum, vel tactum partis alioquin honeſtæ*,

neſtæ, *V. G. aſpicere*, *vel tangere faciem*, *manus*, *brachia*, *& ſecundum* Navarrum, *etiam mamillam fœminæ obiter ex joco*, *levitate*, *& curioſitate*, *ex ſe nihil habere mali*, *præter ipſum jocum*, *vel levitatem venialem*. Ex his paucis lineis collige genium iſtius Caſuiſtæ. Primum, cum cæteris *ſuis*, *Navarri* doctrinam minus ſincere exponit. Poſt, laxitatem adjicit, eamque affingit Navarro, videlicet, tangere mamillam fœminæ *ex curioſitate* nihil habere mali. Ubinam ſcripſit Navarrus, nihil habere mali ejusmodi tactum ex *curioſitate*? Sed miſſa impoſtura Navarro impacta, doctrinæ laxitas improbanda, deteſtandaque eſt. Nihil habet mali tactio hæc *ex curioſitate*? Poterunt ergo juvenes utriuſque ſexus ex *curioſitate* iſtius vanitatis montes premere, quin peccent, niſi ad ſummum culpam venialem? Et hic eſt Caſuiſta ille, quem Confeſſarii aliqui ut Magiſtrum ſequuntur, etſi paſſim laxiora vel defendit, vel, ut Probabiliſta, ab aliis propugnata proponit amplectenda? Quid, ſi vellem iſthuc tranſcribere, quæ de ſolis tactibus impudicis cæteri Caſuiſtæ docent? Niſi legentium ſcandalum timerem, plura darem. Unum, aut alterum textum promam. P. Claudius La Croix in *Textu* ſui Buſembau *lib.* 3. *par.* 1. *num.* 887. *pag.* 216. inquit. „ Oſcula, amplexus, compreſſio„ nes manuum, & *ſimilia* non obſcœna ..... ſi fiant ex aliqua „ veniali vanitate, joco, *curioſitate*, levitate, *petulantia*, *immo* „ *etiam ſenſualiter*, *ſive affectu ſenſuali*, ac naturali (dummodo „ non cum delectatione venerea, nec ejus cauſa, etſi præter in„ tentionem ſuboriatur, ea repulſa, ac tunc abſtinendo) venia„ lem culpam non excedunt. „ Oſcula ergo, amplexus compreſſiones manuum, & *ſimilia*, *affectu ſenſuali peracta*, *etſi præter intentionem ſuboriatur delectatio venerea*, non excedunt culpam venialem? Qui voluntarie in hanc ardentem picem, in tantum libidinis periculum ſe conjicit, venialiter dumtaxat peccat? Sed tranſcribamus alia, quæ ibidem habet. „ Perſona ſoluta permit„ tens ſe tangi ab alia tactu, qui vulgo cenſetur pudicus, ut „ prehenſio, contrectatio manus, amplexus, & oſcula, juxta mo„ rem Patriæ, non peccat, niſi ei conſtet fieri pravo affectu. „ Huic enim cooperari non licet. *Docet tamen Filliucius etiam* „ *tunc admitti poſſe* (eccur?) *ne tangens infametur*. Vin' benigniorem charitatem? Audi quæ ſequuntur. *Admittens autem tactus impudicos*, *ut mamillarum*, *& obſcenarum partium*, *vel oſcula furtiva*, *& moroſa*, *vel indecentia*, *peccat* (cur?) *quia præſu-*

mitur

mitur affectus pravus. Quid ſi benigna charitate prædita mulier nollet judicare (ne infametur tangens) hæc fieri pravo affectu? Si hæc præſumptio deſit, omnia caſta non ne? Hactenus *Buſembau* in Textu. In addendis vero *P. La Croix* hæc ſcribit *num.* 904. „ Tactus ſuper veſtes ad partes verendas, tunc eſt mortalis, „ ſi quæratur delectatio conſurgens ex tactu mediato cogitato. „ Si autem fiat ex petulantia tantum, aut *levi delectatione*, ta„ ctus veſtium erit veniale tantum. Sanchez num. 11. „ Hæc expoſitionem non patiuntur. Nimium enim bituminoſa. Si perconteris ab his Junioribus, ex quo Patre, aut Concilio hæc didicere? Reponunt, Patres Sanctos non explicare ſigillatim morum quæſtiones. Theologia hæc reſervata Recentioribus eſt. Quid ergo mirum, ſi ſpectemus diras libidinis flammas tam funeſtam caſtitatis inducere ſtragem! Bitumen enim & ſulphur Caſuiſtæ accendunt, dum licita eſſe, aut levia docent illa, unde neceſſario ſequuntur incendia. Hæc obiter ad imperitorum admonitionem, ut ab ejuſmodi Caſuiſtarum lectione abſtineant, aut ſaltem cautiſſime eoſdem legant.

XXXVI. Ut ad Caſuum *Diſſertatorem* revertatur oratio, poſtremo loco animadvertendum eſt, admiſſa ejuſdem laxiſſima & ſcandali plena ſententia, vix aliquam, niſi monſtroſam impudicitiam cum Moniali attentatam, eſſe reſervatam. Siquidem illius regula octava par. 1. pag. 6. exarata hæc eſt: *Peccata externa non reſervantur, niſi quæ ſunt mortalia ex actu externo, non vero quæ ſolum ſunt mortalia ex actu interno, V. G. ex affectu mortaliter malo, vel ex intentione mortaliter mala*. Hoc poſito, vellicatio genarum, compreſſio mamillarum, & potiori jure, brachiorum, manuum, pedum, natura ſua non ſunt niſi veniales culpæ: Ergo quantumvis ex pravo, & libidinoſo affectu peragantur, reſervatione non afficiuntur, quoniam mortalia ſunt ex ſolo actu interno, ſecus ex actu externo. Sermones quoque, niſi ſint turpiſſimi, & homine honeſto indigni, juxta Caſuiſtas, non ſunt, ſecluſo pravo affectu, lethales: Ergo accedente pravo affectu interno non ſunt reſervati. Caſus itaque reſervatus: *Qualibet impudicitia cum Monialibus peracta, vel quocumque modo attentata*, ad ſolam non nominandam verendorum contrectationem To *qualibet impudicitia* reſtringetur. Materiæ turpitudo ultra argumentationem producere vetat. Satis namque ſuperque demonſtratum eſt,

In-

Interpretis noſtri opinionem erroneam eſſe, ſcandalique plenam, atque ab ipſis laxioribus Caſuiſtis improbatam.

XXXVII. En, Illuſtriſſime Antiſtes, quam impotens ſit in non paucis Caſuiſtis laxandæ Chriſtianæ Moralis cacohetes, & amplificandæ Probabiliſticæ juriſdictionis libido. Compertum heinc habes, exploratumque, injuſte Probabiliſtas malæ fidei, & impoſturæ ſuos poſtulare Adverſarios, quod illorum laxas opiniones minus ſincere repræſentent. Quæ laxitatis inaudita commenta in ſpiſſis, & grandioribus voluminibus evulgent illi, veluti ex ungue leonem colligere vales ex iis, quæ Diſſertator Caſuum Reſervatorum in quatuor foliis in lucem protulit. Si poſt tot diſſidia, & in conſpectu Severiorum Cenſorum tam erronea diſſeminare commenta audent, tute judex eſto, quanto iſti ardore flagrant dilatandi viam, quam arctam Chriſtus teſtatur. Plura dicenda ſuperſunt; verum ſequenti Epiſtola graviora, atque pejora dabo. Interim vale, meque pro tua humanitate, ut ſoles, amare perge.

Dabam die 4. Januarii 1744.

A D D E N D A.

Pag. 33. l. 24. Poſt illa verba: proponit amplectenda: *Adde.* Nec propterea præfati tactus lethali culpa carent, quod joco peragantur. Quid? Sacrarum ne Virginum, ſive quarumcumque mulierum ubera ludi materies? Iſte ne jocoſi certaminis campus? Quantum temporis, rogavit naſutus quidam Bibliopola, perdurare ludus iſte debet? Per horam? Per quadrantem? In ſingulos dies? Quapropter licet indefinita *Diſſertatoris* propoſitio exitialior ſit, gravioriſque ſcandali plena; tamen non propterea a gravi peccato, gravique cenſura aliorum Caſuiſtarum immunis eſt opinio, qua aſſeritur, vel ex joco, vel ex curioſitate tangi mulierum mamillas poſſe abſque peccato mortali. Quin iſtorum laxa opinio, quia fuit *Diſſertatori* errandi, & aliis eſt, eritque peccandi occaſio, potiſſimum nigro carbone notanda eſt.

EPI-

EPISTOLA SECUNDA.

UT oppignoratam fidem, Antiſtes præſtantiſſime, commodum liberem, alteram, & ut ego quidem arbitror, laxiorem Caſuum Reſervatorum *Interpretis* opinionem refutandam ſuſcipio. Gravia, quæ in aliis, ad te datis, litteris ſcripſi, ejuſque generis ſunt, quæ pudorem, modeſtiam, aures, communemque ſenſum, nedum mentem, percellunt, tamen iis, quæ dicturus ſum, comparata, levia evadunt. Unius actionis impudicitiam produnt illa, hæc quæ nunc dicere aggredior, principia, obiter licet, & pro re nata, verſant, quæ per univerſam morum Theologiam ramos ſuos explicant, & mortale laxitatis venenum effundunt. Animum itaque tuum firmes, zelumque comprimas velim, quo imperturbata mente, quæ revera incredibilia ſunt, audire queas, atque expendere. Et ne te plus juſto in limine ſuſpenſum detineam, ad rem accedo. Principio excribo caſum *reſervatum*, & integram ejuſdem interpretationem, quam *Diſſertator* exhibet pag. 7.

CASUS RESERVATUS.

Blaſphemiæ in Deum, Beatiſſimam Virginem, & Sanctos.

INTERPRETAMENTUM Pag. 8.

II. „ QUæritur primo: an blaſphemiam proferens ex iracun„ dia, ſeu in iracundia, reſervationem incurrat? „ Reſpondetur: hujuſmodi blaſphemus reſervationem incurrit, „ ſi iracundia ſit talis, ut, habita plena deliberatione, ejus „ blaſphemia adhuc ſit mortalis. Nam in hac hypotheſi ea„ dem blaſphemia eſſe vera blaſphemia non deſinit, nec aliun„ de eſt, cur reſervationem declinet. Hujuſmodi blaſphe„ mus reſervationem non incurrit, ſi iracundia ſit talis, ut *de-*

Digitized by Google

„ *ficiente plena deliberatione* eadem blaſphemia ſit venialis. „ Nam juxta noſtram Regulam ſextam ſola peccata mortalia, & non venialia reſervantur. Patet idem eſſe pariter, „ ſi citra iracundiam defectu plenæ deliberationis blaſphemia „ ad mortalem culpam non perveniat. *IDEMQUE PARITER EST SI BLASPHEMIA SIT IMPERFECTE DELIBERATA EX PRAVA CONSUETUDINE BLASPHEMANDI. Etenim talis blaſphemia vel ſecundum MULTOS „ DOCTORES, utpote non voluntaria ſaltem perfecte, non eſt „ culpa ſaltem mortalis ; vel ſi eſt culpa mortalis ſecundum „ NON MULTOS DOCTORES, utpote perfecte voluntaria, „ ſolum in cauſa, ſeu in dicta conſuetudine, non eſt blaſphemia formalis, ideoque ob noſtram regulam tertiam reſervationi non ſubeſt.*

III. Priuſquam ſigillatim interpretamenti iſtius lapſus excutere inſtituo, generatim pauca diſſero, & totius doctrinæ picturam adumbro. Tria in hac interpretatione partim clam latitant, partim coram prodeunt. *Ignorantiſmus*, *Probabiliſmus*, *Pelagianiſmus*. Latitant hæc in his verbis: *plena deliberatione: voluntaria ſaltem perfecte*. Actualis conſideratio, ſeu advertentia neceſſaria eſt (inquit Interpres) ut deliberatio plena ſit, & perfecte voluntaria. Hac reflexione actuali ſublata, e veſtigio prodit *IGNORANTISMUS* ille omnium ſcelerum Parens. Ex Ignorantiſmo Probabiliſmus. Opportuna eſt *Ignorantiſmi* deſcriptio, quam perhibet Sapiens P. Ignatius de Camargo inſignis Societatis Jeſu Theologus, cujus nonnulla principia vano, irritoque conatu *P. La Croix* refutare tentavit. Hæc vero Camargus ſcribit *lib.* 2. *contr.* 4. *n.* 530. *Hic eſt IGNORANTISMUS (ideſt doctrina de ignorantiæ peccatis apud recentes Probabiliſtas) Probabiliſmi neſcias, an Parens, an Alumnus, an Filius, an comes, an germanus Frater? Id certum, ſine illo PROBABILISMUM vivere non poſſe: ſed & illud certum præterea, per illum* (Ignorantiſmum) *fieri vulnus immedicabile, quia fit propemodum inſanabile: & morbus inſanabilis eſt incurabilis.*

IV. En paucis perſtrictam totam *Probabiliſmi*, & *Ignorantiſmi* indolem. Nullum peccatum libertate ſublata, libertas nulla, mente reipſa non advertente, non conſideran-

te.

te. Conſuetudo blaſphemandi tollit conſiderationem actualem blaſphemiæ: ergo aufert libertatem peccandi. Qui igitur ex conſuetudine blaſphemat, pejerat, calumniatur, convitiatur, cogitat mala, appetit aliena, impudice mulieres deperit, non peccat. Hæc *Ignorantiſmum*, & *Probabiliſmum* neceſſario conſequuntur. Doctrinam, quam in hac interpretatione *Diſſertator* Caſuum promit, non excogitavit ipſe, ſed tranſcripſit ex aliis Theologis. In altera Epiſtola cum eo ſolo mihi certamen fuit: nunc cum Probabiliſtarum manipulo deprœliandum eſt.

V. Agedum ergo. Sigillatim propoſitiones deſcriptæ interpretationis diſpiciamus. *Hujuſmodi blaſphemus reſervationem non incurrit, ſi iracundia ſit talis, ut deficiente plena deliberatione eadem blaſphemia ſit venialis.* Quæ certa penes omnes ſunt, præmittamus. Quod motus, qui vocantur primo primi prævenientes rationem excuſent a culpa, convenit penes omnes: quare, ſi quis invincibiliter non adverteret, verba, quæ profert, eſſe blaſphema, non peccaret; quia ſi cognoſceret ejuſmodi verba blaſphema eſſe, minime illa proferret. De his nulla quæſtio cum Interprete. Quod aſſerit ille, eſt, blaſphemiam ex ira prolatam non eſſe peccatum mortale, quando iracundia plenam deliberationem impedit. Quælibet autem ira gravis, & vehemens rationem perturbat. Plenam itaque deliberationem aufert. Nemo ergo gravi ira percitus, blaſphemias eructando, grave ſcelus perpetrabit. Porro qui ſunt, qui tranquillo animo, & mente ſcienter deliberante, divinam Majeſtatem blaſphemiis proſcindant? Si tunc ſolum blaſphemia peccatum eſt, cum ira ſit ita levis, ut non impediat plenam deliberationem, vix erunt blaſphemiæ inter Chriſtianos crimino ſæ. Nam communiter homines gravi ira furentes blaſphemias evomunt. Hæc gravis ira animum, mentemque perturbat: actualem advertentiam aufert, plenamque adimit deliberationem. Hac ſublata, blaſphemia gravem malitiam exuit. Ergo vix erunt blaſphemiæ ſcelera reſervationi ſubjecta, ut clarius, evidentiuſque mox patebit. Hæc autem doctrina falſa eſt, & communi ſenſui, atque omnium Sanctorum doctrinæ adverſatur. S. Tomas 2. 2. *q.* 13. *a.* 2. *ad* 3. perſpicue diſtinguit blaſphe-

miam ex ſurreptione omnino innocenterque rationem prævenienre, a blaſphemia ex motu iræ prolata. Aquinas Antonius, cæterique Theologi requirunt libertatem ad peccandum, ſed vel directam in ſe, vel indirectam in cauſa. Et hac ratione quoque expoſcunt conſiderationem non ſemper actualem, ſed virtualem, & in cauſa. Qui iracundia commotus blaſphemat, *non excuſatur a peccato mortali* (inquit S. Thomas loc. cit.) *ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem*. Paritas rem perſpicue exponit. Nam ſicut occiſor vitam homini aufert; ita blaſphemia, ſi ſit hæreticalis, vitam Deo adimere iniquo ſuo affectu pertentat. S. Antoninus 2. *p. tit.* 7. *cap.* 5. §. 1. *Nec excuſatur, quod ex ſubita ira hoc facit, vel ex MORE, ſicut nec excuſaretur ab homicidio, & conſequenter a pœna mortis, ſi quis ex impetu iræ hoc ageret*. Eadem docet *tit.* 8. *cap.* 7. Mitto aliorum Sanctorum ſententias, quoniam, quæ hic indicavi, obiter dicta velim, & ut præludia ad ea, quæ ſtatim adjiciam. Abſolute enim, & ſeparatim accepta, poſſent quoquomodo fucis, & technis involvi. Poſſet opponi contingere interdum, hominis nullo modo blaſphemiis aſſueti ita præveniri rationem, ut omnino inconſiderate blaſphemet. Sed de his primis, ſubitaneisque motibus nulla nobis diſputatio eſt. Quæ ſequuntur ergo meditanda propono.

I N T E R P R E S.

VI. *Patet idem eſſe pariter, ſi citra iracundiam defectu plenæ deliberationis blaſphemia ad mortalem culpam non perveniat. Idemque pariter eſt, SI BLASPHEMIA SIT IMPERFECTE DELIBERATA EX PRAVA CONSUETUDINE blaſphemandi; etenim talis blaſphemia vel ſecundum MULTOS DOCTORES, utpote non voluntaria, ſaltem perfecte, non eſt culpa, SALTEM mortalis; vel ſi eſt culpa mortalis ſecundum NON MULTOS DOCTORES, utpote perfecte voluntaria ſolum in cauſa ſeu in dicta conſuetudine, non eſt blaſphemia formalis, ideoque ob NOSTRAM Regulam tertiam reſervationi non ſubeſt.*

VII. Vereor, ne dum hæc tranſcribo oculi me fallant. Vix

Vix enim credibile eſt, talia a Chriſtiano Theologo evulgari poſſe. Ordine ſervato, ſingula mox patefaciam. Et, ut principio argumenta extrinſecus arceſſita promam, quæ validiſſima cæteroquin ſunt ad erroneam labefactandam opinionem, ſcias velim, communiter ſeveriſſimas Principum pœnas in blaſphemos *conſuetudinarios* latas eſſe, & Epiſcopos in ſuis Diœceſibus plerumque reſervare ſcelera blaſphemiæ ex prava *conſuetudine* prolata. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Daniel Delphinus peramplæ, & celeberrimæ Aquilejenſis Diœceſis Patriarcha, ſuis Anteceſſoribus inhærens, his verbis reſervavit crimen blaſphemiæ: *Omnis blaſphemia hæreticalis: item ſimplex, ſicut publica, id eſt coram decem hominibus, aut ex CONSUETUDINE fuerit.* Qui caſus hoc pacto explicatur in Synodo habita ab eodem Patriarcha Delphino anno MDCCXLI. *Quam conſuetudinem definientes declaramus, eos in hunc caſum incurrere, qui ante ultimam Confeſſionem plus una vice, & poſtea octies, ſe hujuſmodi peccato obſtrinxerint.* In Diœceſi Concordienſi hoc modo reſervatum eſt blaſphemiæ crimen: *Qui nomen B. M. Virginis, aut Sanctorum, ex PRAVA CONSUETUDINE, ideſt per octo vices ab ultima Confeſſione blaſphemaverit.* Futilia hæc, & centum alia Epiſcopalia decreta. Nam juxta *Diſſertatorem* Caſuum continuata blaſphemandi conſuetudo ſecundum *MULTOS DOCTORES non eſt culpa ſaltem mortalis*; vel ſi ſecundum *NON multos* Doctores eſt culpa mortalis, *non eſt blaſphemia formalis*. Ergo concludit Doctor noſter, attenta omnium Theologorum ſententia, Patriarchæ & Epiſcopi, blaſphemandi ex conſuetudine ſcelus reſervantes, ſe deridendos exhibent. Nullum quippe ſaltem mortale crimen eſt mos blaſphemandi. Nec Confeſſarii parere in hoc Epiſcopis ſuis debent. Reſervent illi vera, & mortalia crimina: Perdiſcant tandem conſuetudinem diuturnam prævalere contra naturam, ipſaſque æternas Dei leges, nedum humanas. Valeant itaque decreta Epiſcopalia. Sed quid Epiſcopalia dico? Valeant decreta ipſa Papalia caſus reſervantia. Si qui ſint, quibus hæc faceſſant negotium, ea continenter violare pergant, & ab iiſdem conſuetudinis privilegio immunes evadunt.

VIII. Veniam mihi facias velim feſtivum, opportunumque nar-

narrandi Apologum. Cujus ut percipias vim, leges tum divinas, tum humanas in blaſphemos rogatas, curſim delibem oportet. Deus *Levit.* 24. blaſphemos lapidibus obrui ad mortem uſque imperat: *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus.* Jus Civile commune ultimo puniendos ſupplicio blaſphemos decernit. Principatus quiſque peculiaria in eoſdem conſtituta ſupplicia habet. Alicubi blaſphemi plebeji, primum vapulant, poſt verberibus, tandem candenti ferro labiis inuſtis linguæ eorum præciduntur. Alibi publicæ deriſioni, & infamiæ ſubjacent. Jus canonicum *Cap. ſtatuimus de Maledictis.* eoſdem ſeptem diebus ante fores Eccleſiæ adſtare, dum ſacra aguntur, dieque dominico pallio poſito, nudis pedibus, collario cervicibus impoſito, publico aſpectui ſeſe exhibere, ſeptemque ſextis feriis, priuſquam Eccleſiam ingrediantur, in pane & aqua jejunare præſcribit. Quæ præſtare ſi neglexerint blaſphemi, ingreſſus in Templum, & Eccleſiaſtica ſepultura interdicuntur. Concilium Lateranenſe *ſeſſ. 9. cap. ad abol.* Clericos ſemel blaſphemos unius anni redditibus Beneficii privat. Poſt, eoſdem beneficio abdicat, tum ad Eccleſiaſticos proventus incapaces conſtituit. Nobiles Laicos prima vice viginti, ſecunda quinquaginta ducatorum mulcta punit, *Conſuetudinarios* nobilitate dejectos declarat. Plebejos blaſphemiis aſſuetos ad Triremes carcereſve damnat. Poſtremum idem Concilium *loc. cit.* & Julius Papa III. in ſua Conſtit. *In multis*, jubent, ut quicumque blaſphemantem audierit, infra triduum denuntiare eumdem debeat apud Judicem Eccleſiaſticum, vel Sæcularem. His delibatis.

IX. Quidam ultimæ legis exactus obſervator blaſphematorem audiens, continuo eumdem Judici defert. Captura imperata, ad carceres ducitur. Divino percitus terrore, ſacrum Miniſtrum poſtulat. Conſcientia crimina ſerio commeditans, potiſſimum ſacrilegas, atque hæreticales blaſphemias, quarum multitudine, & enormitate perterrefactus, in deſperationem pene agitur. Tum Confeſſarius: Cedo fili mi. Ut quid animo deſpondes? *Advertiſti* ne, te blaſphemare, cum blaſphemias has emittebas? *Sciviſti* ne, ejuſmodi eſſe peccata? Cum primum convitiari Deo, ejuſdemque Sanctiſſimæ Matri oc-

cœ-

Google

cœpi, ſane aculeis torquebar, meque Deum offendere recognoſcebam. At temporis decurſu mente alio diſtenta, atque incogitante, in horrendas erumpebat lingua blaſphemias, occaſione data. Quid fili mi, quid? Occaſione data? Numquid conſuetudine blaſphemandi irretitus es? Heu Pater .... Hiſcere non valeo. Ut video, nimium es meticuloſus. Noli timere. Aſſuetus ne es blaſphemis? Scilicet domine. Et quod me conficit, tanto impetu in blaſphemias ferebar, ut ſingulis ferme verbis, & ad cujuſque Sanctorum, Virginis, & Chriſti Domini imaginem ſacrilega in eoſdem convitia eructabam. Laus Deo, quod tandem ſincere faſſus ſis omnia. Macte animo. Blaſphemiæ iſtæ tuæ aut nullæ, aut ad ſummum veniales culpæ ſunt. Quoniam conſuetudo hæc plenam tibi ademit deliberationem; qua ſublata, neceſſaria ad peccandum libertas periit: aut nullam ergo, aut venialem culpam peccaſti. Heu domine? Animam mihi reddidiſti. Dicas iterum, amabo te. Tam incredibili ne vi conſuetudo pollet, ut blaſphemias ipſas malitia exuat? Ita docet potiſſima *Doctorum* multitudo. Si ita res habet, hominum feliciſſimus ego: Non ſolum animam inferno, ſed corpus ipſum ſuppliciis in blaſphemos a Principe definitis ſubduxi. Haberes ne Pater librum quemquam, qui hanc propugnet doctrinam? Bona tui forte, Caſuum Reſervatorum mecum habeo libellum. Hunc accipe. Infecta confeſſione, libelloque in perula poſito, ad Tribunal ſiſtitur. Examen Judices inſtituunt, eumque interrogant: Tu ne ſacrilegus ille divinæ Majeſtatis, Virginis Sanctiſſimæ, Divorumque convitiator? Utique. Crimen ergo fateris? Scilicet. I ergo Carnifex, reumque confeſſum juxta leges plecte. Indefenſus ne damnabor? Si ſinceram criminis confeſſionem excepiſtis, & criminis audiatis defenſionem. Age fare. Non ego ſemel, bis, terve, quaterve blaſphemus fui. Quid ergo? Ab adoleſcentia blaſphemandi vitium in more habui. Blaſphemiis innutritus, ſive ſolus, ſive cum ſociis, ſive domi, ſive in platea, ubique demum blaſphemiis, quoad potui, horrendiſſimis Deum, Virginem, Sanctoſque proſcidi. Hæc mea cum lacte hauſta conſuetudo. Porro Confeſſarius perdoctus me condocefecit, peccare utique graviſſime eos, qui interdum, & raro, ſecus qui ex conſuetudine, & ma-

maxime inveterata blaſphemant. Deliras ? Heccine defenſio tua ? Haud contentus Dei honorem conculcaſſe, proximum, & vel ipſum ſacrum Miniſtrum calumniis inſectari audes? Abſit a me tantum ſceleris. Veritatem dico perſpicuam, quam illi ipſi Confeſſarii me docuerunt, quibus vos Judices regimen animarum veſtrarum fiditis. Quod ſi mihi utique indigno adhibere fidem renuitis, documenta exhibeo luculentiſſima. Et extractum e perula librum porrigit Judicibus, qui, re infecta, ſtuporeque defixi, libelli examen inſtituunt; & veritate comperta, carnificem vocant, diris conſecrari flammis libellum imperant; Confeſſarium vero ad ſupremum fidei Tribunal deferunt.

X. A diverticulo in ſemitam regredior, & ad Fidei, ſeu Chriſtianæ Theologiæ principia Interpretis doctrinam exigo, quæ eſt ejuſmodi. *Hujuſmodi blaſphemus reſervationem non incurrit, ſi iracundia ſit talis, ut deficiente plena deliberatione eadem blaſphemia ſit venialis. Nam juxta noſtram Regulam ſextam ſola peccata mortalia, & non venialia reſervantur. Patet idem eſſe pariter, ſi citra iracundiam defectu plene deliberationis blaſphemia ad mortalem culpam non perveniat. Idem pariter eſt, ſi blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex PRAVA CONSUETUDINE blaſphemandi; etenim talis blaſphemia vel ſecundum multos Doctores, utpote non voluntaria, ſaltem perfecte, NON EST CULPA, ſaltem mortalis; vel ſi eſt culpa mortalis ſecundum NON multos Doctores ... non eſt blaſphemia formalis, ideoque ob noſtram Regulam tertiam reſervationi non ſubeſt.* Duæ ſententiæ in hac doctrina continentur. Prima: blaſphemiæ ex conſuetudine prolatæ non ſunt peccatum, ſaltem mortale, ideoque non reſervatæ. Et hæc ſententia eſt ſecundum *multos Doctores*. Secunda: quamquam juxta *non multos* Doctores ſit peccatum mortale, tamen non eſt blaſphemia *formalis*, idcirco non ſubeſt reſervationi. Has duas ſententias neceſſario conſequitur hæc concluſio. Omnium Theologorum conſenſu nulla blaſphemia ex conſuetudine eſt reſervata. Ergo extrema (dictum eſt ſemel, repetendumque iterum eſt) laborant ignorantia tot Concilia Diœceſana, tot Epiſcopi, & Patriarchæ, quos Deus conſtituit regere Eccleſiam ſuam, dum blaſphemias ex conſuetudine reſervant.

XI. Pri-

Digitized by Google

XI. Prima ſententia in examen veniat. Convenit penes omnes, retractata conſtanti pœnitentiæ propoſito blaſphemandi conſuetudine, non peccare mortaliter eum, qui vi illius inveterati moris in aliquam, præter voluntatem, blaſphemiam incidit. Nullum, ad hoc quod attinet, diſſidium. Doctrina ſcandali plena, quæque aures Ethnicorum, Turcarumque, nedum Catholicorum, lædit, eſt, quod blaſphemiæ ex prava conſuetudine non retractata prolatæ, expertes culpæ ſint, ſaltem mortiferæ. Quid virgam cenſoriam extendis in ſententiam, quam major Doctorum pars propugnat? Nam adverſam *non multi Doctores* defendunt. Siccine ergo tam erronea Doctrina affingitur Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus? Quam heinc non arripient Hæretici, & Pagani calumniandi Eccleſiam Catholicam anſam? Retractare ergo hanc impoſturam Eccleſiæ Catholicæ impactam Interpres debet. Nam omnes Doctores Eccleſiæ, omneſque veri Theologi damnant, deteſtantur, execranturque præfatam Doctrinam impiam in Deum, in Sanctos, & Chriſtianorum deceptricem.

XII. Qui ſunt, qui conceptis verbis talem defendunt blaſphemiam a culpa immunem? Sunt, non Doctores Eccleſiæ, ſed nonnulli Probabiliſtæ in Eccleſia. Non negamus ergo, ſed in Probabiliſmi dedecus aſſerimus, Recentiores plures præfatam Doctrinam defendere. Eorumdem verba iſthuc tranſcribere juvat, ut palam fiant, qui ſunt iſtius ſententiæ Doctores.

XIII. P. Thomas Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 6. §. 4. n. 17. Verba contra Deum in ebrietate, vel phreneſi, vel ex inadvertentia orta ex INVETERATA CONSUETUDINE, blaſphemiæ nequaquam ſunt. Malitia enim blaſphemiæ, ſicut & perjurii, atque hæreſis, requirit procedere ab homine, qui ratione utatur. Neque enim quis contumelia rationabiliter afficitur ex convitio dicto a pſyttaco. Ita Vaſquez, Turrian. Apud Layman, alioſque. Vide quæ dixi in Opuſc. Meth. Conf. lib. 2. cap. 3. n. 25.* Quæ hoc citato loco ſcribit Tamburinus majorem adhuc horrorem præferunt. Hæc enim habet *n. 23. Qui vero ex inveterata conſuetudine inadvertenter jurat falſum, licet videatur obligari ad conſuetudinem confitendam, tamen communiter excuſatur . . . .*

Num. 25. *Unum nota : aliquando actus hujuſmodi inadvertenter factos non retinere ne malitiam quidem materialem , ſeu quam vocant objectivam ; & tunc nec ipſe actus , nec conſuetudo eſt peccatum , adeoque nec Confeſſioni ſubjiciendum . Talis communiter reputatur contumelia in ebrietate alicui facta ebrio ... Eodem modo dicendum eſſe docent aliqui cum Joanne Sanchez in ſelectis ſuſe diſp.* 10. *n.* 5. *de BLASPHEMIA, hæreſi, & ſupra dicto juramento , quod ſcilicet eſſentialiter requirant eſſe ab ratione utente ; & conſequenter ea inadvertenter facta, NEQUE IN SE , NEQUE IN CAUSA eſſe peccata, adeoque nec neceſſario confitenda.*

XIV. Nemo non videt quanta dicenda occurrent , ſi ſingulos excutere errores vellem in deſcripta Doctrina contentos : At hoc præter inſtitutum eſſet . Ex alia parte adeo enormes ſunt , ut confutatione non egeant . Blaſphemiæ ex inveterata conſuetudine non ſunt Eccleſiæ clavibus ſubjiciendæ ? Nec materialiter malæ ſunt ? Ergo nulla lege , nec divina , nec naturali , nec humana vetitæ . Audiſtis res adeo horrendas unquam ? Quod ſubdit , neceſſe eſſe , ut perjuria , blaſphemiæ , hæreſes , contumeliæ perpetrentur ab homine eſſentialiter ratione compote , feſtivum eſt ; quaſi cætera peccata peccare valeant etiam amentes, & pſyttaci.

XV. Doctrinam Interpretis , & Tamburini docet Leander a Santiſſimo Sacramento *tract.* 1. *de juram. diſp.* 5. *qu.* 17. de more nova adjecta laxitate ; inquit ergo : *Qui ex habitu blaſphemat abſque plena & ſufficienti advertentia ad peccatum mortale , tunc non committit novum peccatum mortale , ſed ſolum peccavit in cauſa , quatenus non abſtulit pravam conſuetudinem , ad quam advertit .* Laudat pro hac ſententia Bonacinam , Filliucium , Toletum , Tamburinum alioſque . Toletus *lib.* 4. *cap.* 13. conceptis verbis docet oppoſitum : *Qui enim ita male aſſuetus eſſet , nec vellet emendare ſe, peccaret TUNC mortaliter, quia eſſet in culpa præcedenti , quia non abſtulit occaſionem peccati .* Navarrus in Manuali *cap.* 12. *n.* 84. loquitur de illa inconſideratione , quæ eſt cauſa blaſphemiæ , ita ut ſi adverteret homo , non blaſphemaret , ut docet Cajetanus : ſecus de conſuetudine blaſphemandi non retractata . Verum citatus P. Leander a

SS.

Digitized by Google

SS. Sacramento hanc interpretationem rejicit ut *Rigoriſmum*. Quare ut Chriſtiani liberius, ſublatis ſcrupulis, blaſphemare valeant, legas ſerio velim ſequentem, quem proponit caſum. *An ſaltem peccet mortaliter actu ille, qui inadvertenter, & inconſideranter blaſphemat: eſt tamen ita habitualiter diſpoſitus, quod etiam ſi adverteret, blaſphemaret.*

Audi Reſponſum *Probabilius*.

Probabilius reſpondeo, nec illum peccare mortaliter actu in propoſito caſu. Nam, ut quis actu peccet, novumque peccatum committat, non ſufficit, quod ſit habitualiter diſpoſitus, & proclivis ad peccandum, ſed requiritur neceſſario, quod actualiter, & in actu ſecundo ſit. Quia Deus, inquit S. Auguſtinus contra Semipelagianos, non imputat nobis quod faceremus, ſi hoc, vel illud occurreret; ſed quod actu facimus. Alioquin homines dediti luxuriæ, vel avaritiæ, qui, data opportunitate, conſenſum præbent his peccatis, ſemper actualiter peccarent, quod omnino eſt falſum. Citat in ſui favorem Suarez, Valentiam, Sanchez, Filliuc. Layman, alioſque. Valentia expreſſe docet oppoſitum. Non diffiteor tamen ſententiam Tamburini, & Leandri, alios quoque docere Probabiliſtas. Sed addimus in hac quæſtione iſtorum auctoritatem nos rejicere. Quod de Semipelagianis obtrudit Leander, ineptum eſt. Nam nunc diſputamus de futuris abſolutis, non conditionatis, ut ex titulo quæſtionis a Leandro propoſitæ patet. Quæritur enim de homine reapſe blaſphemante ex habitu, utrum peccet? Verum hæc præter inſtitutum.

XVI. Ad *Interpretem* nunc Caſuum revertamur. Ne igitur aures nobis obtundat auctoritatem objiciendo quorumdam Probabiliſtarum; idcirco in anteceſſum iſtorum patrocinia illi conceſſimus. Illud tamen adverto, Interpretem Caſuum laxius aliquomodo cæteris hanc ſuam opinionem defendere. Preſſius ergo ejus verba diſpiciamus: *Idem pariter eſt, ſi blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex prava conſuetudine blaſphemandi.* Conſuetudo ergo blaſphemandi impedit, quominus quis deliberate blaſphemet? Peccatum originale abſtulit ne liberum arbitrium neceſſarium ad peccandum? Hæreticus de-

Digitized by Google

claratus Calvinus eſt, qui id aſſeruit. Et Caſuiſta Catholicus docet, peccatum blaſphemiæ, habitu voluntario roboratum, adimere libertatem neceſſariam, ut blaſphemia ſit lethaliter criminoſa? Authores, quos indicavimus, non eo laxitatis lapſi ſunt, ut abſolute a peccato immunes ex habitu blaſphemantes declarent: Sed blaſphemantes ex inadvertentia orta ex conſuetudine non peccare aſſerunt. Noſter Caſuum *Interpres*, ultra progreſſus, abſolute aſſerit, blaſphemiam ex conſuetudine prava prolatam, non eſſe reſervatam: *Etenim talis blaſphemia* (ex prava conſuetudine) *vel ſecundum multos Doctores, utpote non voluntaria, ſaltem perfecte, non eſt culpa mortalis*. Hic abſque tergiverſatione abſolute, & indefinite docet *Interpres Caſuum Reſervatorum*, blaſphemiam ex conſuetudine non eſſe peccatum mortale. Sive itaque blaſphemus *conſuetudinarius* blaſphemet cum advertentia, aut ſecus, mortaliter non peccat. Cedo. Conſuetudo blaſphemandi tollit ne poteſtatem advertendi, aut ſecus? Si primum aſſerat Interpres, hæreſis notam non evadit. Si ſecundum: aſſuetus ergo blaſphemiis actu advertere poteſt ſe blaſphemare: & quod actu non advertat illius culpa eſt. Sed blaſphemans cum poteſtate actuali advertendi, etiamſi vinculo conſuetudinis aſtrictus ſit, mortaliter peccat. Ergo errorem redolet abſolute pronunciare, quod blaſphemia ex perverſa conſuetudine non ſit peccatum. Hoc ergo primum doctrinæ Interpretis membrum non videtur a gravi cenſura immune.

XVII. Alterum quoque membrum: *Vel ſi eſt culpa mortalis, ſecundum NON multos Doctores, utpote perfecte voluntaria ſolum in cauſa, ſeu in dicta conſuetudine, non eſt blaſphemia formalis; ideoque ob noſtram Regulam tertiam reſervationi non ſubeſt*. Hoc quoque membrum, inquam, obnoxium cenſuræ videtur. Nam primum ignorantiæ, & cæcitatis damnat, ut ſupra dictum eſt, Epiſcopos, & Synodos Diœceſanas, quæ blaſphemias ex conſuetudine reſervant. Deinceps futili, & perridicula ratione, a reſervatione hanc blaſphemiam eximit. Concedit, ſecundum *Non multos* Doctores eam eſſe peccatum mortale: *Non proptereatamen*, inquit, *Reſervationi ſubeſt*. Cur? Quia non eſt blaſphemia *formalis*. Sciтiſſime. Quid inde? Quid? Juxta no-

noſtram tertiam Regulam: caſus reſervati ſunt odioſi: odia autem ſunt reſtringenda: ergo ſtricte interpretandi. Licet igitur blaſphemia ſit mortifera, enormis, & ſacrilega; tamen, ſi non eſt *formalis*, non ſubeſt reſervationi.

XVIII. Liceat nunc mihi his quæſtiunculis veluti quibuſdam aculeis Probabiliſtas urgere. Vera ne doctrina veſtra? Veriſſima, quia multorum Doctorum. Bene habet. Cur itaque charitatis, & juſtitiæ violatores expoſtulatis illos, qui ab integro, & amplius ſæculo clamant, inclamantque, Probabiliſtas legum fræna relaxare, morum integritatem corrumpere, Sacramenta indignis miniſtrare? Cur, inquam, invidentiæ, ſimultatis, calumniæ, & graviſſimorum criminum fontes illos poſtulatis? Hæc enim in more habent. Hæc ex habitu, & conſuetudine peragunt. Ergo aut nullum, aut leve crimen perpetrabunt. Et quo fuerint in detrahendo conſtantiores, eo erunt a culpa innoxiores. Quod ſi aſſerant, calumnias, probra, convitia hominibus ex conſuetudine afficta, culpa non carere; criminis ne expertes erunt blaſphemiæ in Deum ipſum jaculatæ? Dicant inſuper, utrum e ſuggeſtu deprædicarent doctrinam hanc? Ediſſerant, ſit ne alia in publico pulpito, alia in ſecreto Tribunali doctrina, qua reformandi ſunt Chriſtianorum mores? Doctrinam, quam pro Confeſſariis exhibet *Diſſertator*, audivimus. Quam e publico ſuggeſtu pronunciavit pius, atque eloquentiſſimus P. Paulus *Segneri*, licet, ut contendunt trium ſuper Probabiliſmo Epiſtolarum Editores, opinioni minus Probabili favens, deſcribam. Prætextus, quos allegare Chriſtiani ſolent, ſe ex pravo more, aut iracundiæ impetu blaſphemare, ſibi opponit in ſuo celebri opere *Chriſtian. Inſtruit. part.* 1. *ſer.* 8. §. 3. *n.* 17. Forſitan quibuſdam a ſcopo deflectere videbitur digreſſio iſthæc: potiſſimum quod erit paululum prolixior. Verum, cum omnia legerint, tunc deprehendent, valde veritati, quæ in manibus eſt, illuſtrandæ idoneam eſſe. Ad rem ergo.

XIX. „ Ma per non dare noi sì terribile la ſentenza ſu „ queſti rei, ſenza prima udirli, aſcoltiamo qualcuna del- „ le diſcolpe, che ſogliono toſto addurre in proprio favore. „ Due ſono le principali. L'una è il mal coſtume: l'altra

„ è la

„ è la collera. *Non vorrei beſtemmiare* dice colui: *Ma ſono*
„ *avvezzo così: Non poſſo emendarmi*. E quanto a ciò non
„ vi voglio io già negare, che ſe uno male abituato nel
„ proferire contro Dio parole ingiurioſe adopra de' rimedj
„ per contenerſene più che può, non ſia veriſimigliante, che
„ in qualche caſo la paſſione lo acciechi tanto, o la mala
„ uſanza tanto lo ſopraffaccia, che egli o non pecchi, co-
„ me in atto indeliberato conforme a quello, *Eſt qui labitur*
„ *lingua, ſed non ex animo*; o pecchi sì, ma di colpa più
„ tollerabile. (*Quid cautius a ſeveriore Theologo dici valet*.)
„ Ma ſe egli invece di odiare queſto mal abito, e di ado-
„ perare mezzi proprj, e proporzionati per eſtirparlo, ſem-
„ pre più lo rinforzi con atti, ſenza travagliarſene molto;
„ *dico, che il peccare per abito aggrava in coſtui la colpa*,
„ *non la diminuiſce*. Che bella ſcuſa ſarebbe quella di un
„ ladro, il quale diceſſe al giudice: Perdonatemi la forca,
„ perchè ſono avvezzo a rubare. Anzi per queſto, direb-
„ be il Giudice a lui, ne meriteresti più d'una, ſe di più
„ d'una tu mai foſſi capace. Perchè come avvezzo a ruba-
„ re ſei perturbatore più coſtante, e più conſueto della pub-
„ blica quiete da te ſconvolta. In ſoſtanza, peccar per abi-
„ to è peccare più intenſamente, dice S. Tomaſo, ed in con-
„ ſeguenza è peccare più gravemente.

„ Quanto poi al beſtemmiare per collera (che è la ſcuſa
„ di tal' un altro) non ha dubbio, che quella beſtemmia,
„ che naſce da mero orgoglio, come proviene da maggior
„ deliberazione, così è più deteſtabile di quell'altra, che
„ naſce da perturbazione prodotta dall' ira. Tuttavia, che
„ ſciocchezza è mai queſta, pretendere, che lo ſdegno ſcu-
„ ſi le contumelie vomitate contra ſua Divina Maeſtà, men-
„ tre non è baſtante ad iſcuſare gl' improperj detti ad un
„ uomo ancor di volgo? Se uno per collera vi dica una ſo-
„ lenniſſima villania, lo ſcuſate voi ſenza farne riſentimen-
„ to? Anzi gli date per riſpoſta or pugni, or pugnalate.
„ E poi volete che la medeſima collera ſcuſi voi nelle vil-
„ lanie, che da voi ſono dette a Dio. „ Eamdem do-
„ ctrinam omnes ad unum Concionatores e publico ſuggeſtu
„ docent, dum de habitu perverſo, pravaque conſuetudine ad
popu-

populum loquuntur. Legantur eorum libri quadrageſimales.

XX. Conferantur itaque quæ hactenus ex celeberrimo P. Paulo *Segneri* tranſcripſi cum opinione *Interpretis*, *Tamburini*, *Leandri*, aliorumque Probabiliſtarum. Tunc negent, ſi auſint, diverſam omnino eſſe *Pulpiti*, & *Confeſſionarii* doctrinam? Alterutrum ergo fateantur oportet. Aut Confeſſarios, aut Concionatores erronea docere, & Chriſtianos, licet non ex animo, decipere. Utri horum fides adhibenda? Reſpondet ſapiens Jeſuita P. Michael Elizalde *part.* 2. *lib.* 6. *q.* 6. Chriſtum Dominum nobis perſpicue indicare, quibus ex his Miniſtris fidem adhibere, & a quibus cavere debeamus. Inquit enim Chriſtus *Matth.* 23. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite*. Aliam Regulam prorſus oppoſitam nobis præſcribit *Matth.* 16. *Intuemini, & cavete a fermento Phariſæorum, & Saducæorum*. Quod cum de panis fermento diſcipuli intelligerent, continuo illam expoſuit Chriſtus ibidem. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, cavete a fermento Phariſæorum, & Saducæorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, ſed a doctrina Phariſæorum, & Saducæorum*. Apertiſſimam inter hos duos textus oppoſitionem, pugnamque nemo non videt. In primo textu jubetur: *Quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite*. In altero hoc idem conceptis verbis vetatur: *Intuemini, & cavete .... a doctrina Phariſæorum, & Saducæorum*. Si cavendum ab iſtorum doctrina eſt, quo pacto illorum doctrinæ parere, & quæ dicunt exequi debemus? Miſſis variis expoſitionibus, interpretatio Auguſtini apprime congrua eſt. In primo textu Concionatores Chriſtus deſignat, qui in Templo coram, & e cathedra, ſeu pulpito, divina mandata exponunt: *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſei*. Quid heinc. *Omnia ergo quæcumque vobis dixerint ſervate, & facite*. Audiamus Auguſtinum Ser. 137. alias de verbis Domini 49. *Habes Dominum dicentem de Phariſeis: Cathedram Moyſis ſedent*. Deinceps prope finem: *Fratres mei, numquid non aſcendunt aliquando aut Presbyter, aut Epiſcopus: & non dicit aliud de ſuperiori loco, niſi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne ſcelera admittantur. Non*

poſſunt dicere aliud, *qui Cathedram Moyſis ſedent*. Et poſt pauca: *Quia de loco ſuperiore non poſſunt dicere iſti*, *niſi bene facite*: *nolite perjurare* (nolite blaſphemare) *nolite fraudare*, *nolite aliquem circumvenire*. Quis iſtorum e ſuggeſtu auderet effari: vellicare Virginum genas, humeros nudatos oſtendere, ubera tumentia efferre, Monialium mamillas tangere, ex conſuetudine contumelias blaſphemiaſque in Deum evomere, aut nulla culpa eſt, aut venialis? Quis tantæ frontis, ut e pulpito coram populo ſimilia effutire auſit, Et tamen in ſecretis conſiliis, immo in libris typis editis? hæc, & pejora, ut allatis textibus palam feci, docentur. Mundi genium ad concupiſcentiam carnis, & cupiditatem rerum, quod attinet, plus, minuſve ſemper idem. Teſtatur ipſe Auguſtinus ſuo quoque tempore, ad ſe veniſſe Chriſtianos, qui in ſecretis conſultationibus contrariam ab ea, quam in Concionibus audierant, requirebant doctrinam. *Aliquando nobis* (ſubdit ibidem) *&* *experti dicimus*: *nam non crederemus*. *Multi a nobis conſilia mala petunt*: *conſilia mentiendi*, *circumveniendi*, *putantes quia talia placeant nobis*. *Sed in nomine Chriſti*: *ſi Domino placet*, *quod dicimus*, *nullus talis nos tentavit*, *&* *invenit quod volebat in nobis*. *Quia ſic vult ipſe qui nos vocavit*. *Paſtores ſumus*, *non Mercenarii*. Nec putes Catholicos iſtos adeo ſive ſtupidos, ſive effrontes fuiſſe, ut vellent ab Auguſtino ſibi licita reddi mendacia, fraudes, dolos, furta, impudicitias, blaſphemias ſub his nominibus, nulliſque adjectis calamiſtris. Petebant illi quod petunt & noſtri: videlicet, ut vocum mutatione, ac ſubſtitutione, res ipſæ concederentur. Quærebant & ipſi ſub honeſtis vocibus turpes res. Impudicitia vocetur *ſubimpudicitia*: mendacia *reſtrictiones mentales*, aut *loquutiones materiales*: furta *compenſationes occultæ*: blaſphemiæ continuatæ, *blaſphemiæ materiales*: uſuræ *ſocietates triplicatæ*. Hæc ab Auguſtino petebant; ſed hæc ab Auguſtino Paſtore, non Mercenario, obtinere non potuerunt. Hæc petunt Chriſtiani a duobus ſæculis, & a pluribus obtinent, atque heinc ortum magna ex parte duxit Caſuiſtica Theologia recens. Sed audiamus ipſum doctiſſimum Elizalde *cit*. *lib*.*6*. *q*.*6*. §.4.
„ Ex hac ergo ab Auguſtino conſtituta Regula, ea plerumque

ſaltem

Digitized by Google

„ ſaltem bona, & facienda dicimus, quæ ſacri Concionatores, Presbyteri, aut Epiſcopi ſedentes ſuper Cathedram Moyſi ex alto prædicant: ea autem non eſſe ſervanda, & facienda, quæ alibi præter, aut contra dicerentur. Illi nimirum honeſtiſſima ſanctiſſimaque plerumque decernunt: diligendum eſſe Deum ſuper omnia: diligendos inſtar noſtri proximos, etiam inimicos, docent, *nec gloſſis corrumpunt, aut dicunt, ſatis eſſe non odiſſe*.... Neque enim uſquam audimus eos ex alto docentes, in magna occaſione propter hæc, illaque præjudicia, permaneri poſſe. Eruendum magis oculum ajunt: abſcindendas potius manus ipſas, & pedes, ſi ſcandalizaverint &c. Haud dicere ſolent mutuo, non quidem propter alios titulos, lucrari quem poſſe ſex, octo, decem, & inſuper pignus quoque accipere; ſed vel omittunt iſta, vel reprehendunt. Nec item duellum ſic, vel ſic acceptari poſſe: beneficia Eccleſiaſtica ita renuntiari poſſe, ut non quidem vendantur, eædem tamen, quæ in emptionibus ſolent, ſummæ vel ſolvantur, vel dentur. *Res quippe eadem ſæpe eſſe* ſolent, & in nominibus formalitatibuſque honeſtas omnis reponitur. Taceo de juniorum relaxatione, de veſtium profanitate, *de impudiciis multis* atque ſimilibus, quæ ſacri Concionatores vel prætermittunt, vel improbant; approbant vero ex alto nuſquam: quod ſi facerent, aures plane offenderent Fidelium: nec Evangelium exponere, ſed profanare cenſerentur. Ipſa itaque Cathedra, ſanctitudo etiam loci, &, ut ita loquar, publicitas, Evangelium denique ipſum, quod quoquomodo demum tractant, & exponunt, ne prorſus præter dicere audeant, eos tenet, ne aliter dicant, doceant. Sapienter itaque Auguſtinus ad iſta reflectens de his dictis Dominum explicavit: *Quæ dicunt* &c.

XXI. Serio ergo ſecum reputent Confeſſarii unam eſſe Evangelii viam, unam Chriſti Theologiam. Anne Concionatores de omni verbo Deo rationem ſunt reddituri, ſecus Confeſſarii? An iſtis demulcendi, illis terrendi homines conſtituta lex eſt? Numquid Concionatores ex Evangelio, & Confeſſarii ex oppoſitis libris, Chriſtianorum inſtitutio-

nes eruere debent? Sed minantur Patres, & potiſſimum Bonaventura: Væ væ Confeſſariis illis, qui Scripturarum jejuni animarum ſuſcipiunt regimen! Antequam conſcientiæ caſus reſolvant, perpendant, utrum quæ ſecreto conſulunt, deciduntque: ex alto, & coram populo, doctiſque viris prædicare auderent?

XXII. Non eſt ergo impoſtura, & quorumdam Antiprobabiliſtarum figmentum, aliam Pulpiti eſſe, aliam Confeſſionarii Theologiam. Quoniam tanta evidentia palam feci *Interpretis*, *Tamburini*, *Leandri*, *aliorumque plurium Probabiliſtarum* opiniones de blaſphemia, de impudicitia, diſtare a doctrina P. Pauli *Segneri*, aliorumque omnium Concionatorum, ut neque hiſcere quiſquam valeat: idemque probaturum me ſpondeo in omni fere diſſidentium opinionum genere. Quod ſi aliqui opponerent, Moralis Theologiæ Profeſſorum, & Confeſſariorum munus eſſe exponere, decidere quid ſit rectum, quid honeſtum, quid juſtum, quid lethale, quid veniale, & ſimilia: Concionatorum vero declamare adverſus vitia, turpitudinem deteſtari, ſuadere virtutem, hortari ad perfectionem, permovere animos ad pænitentiam, ſecus præceptorum difficultates reſolvere: Si inquam aliqui hæc & ſimilia opponerent, hi profecto extrema laborarent ignorantia. Quoniam, ut dixi ſupra, non aliam unquam Patres, & omnium ſæculorum Doctores, & Epiſcopi ſancti in Suggeſtu, aliam in Tribunali pænitentiæ doctrinam docuerunt: Nec aliam edidere doctrinam pro Confeſſionibus, aliam pro Concionibus, ut ex eorum liquet operibus. Hæc, quæ dicta ſunt, non ita abſolute accipias velim, ut nequeat interdum evenire oppoſitum. Huc res tota pertinet. Si Miniſteria ſpectentur, facilius in privatis conſiliis, quam in publicis Concionibus laxæ doctrinæ diſſeminantur. Cæterum ad Miniſtros quod attinet, non deſunt Concionatores, qui, quæ ſui officii ſunt, minus calleant. Iccirco, ut in praxi deprehendatur, a quibus ſtet veritas, prudentia opus eſt, & vigilantia.

XXIII. Porro, ut compertum fiat, hanc noſtram longiuſculam digreſſionem eo tandem ſpectare, viamque ſternere, ut magnopere confirmet quod demonſtrandum ſuſcepimus, paucis

cis rem perſtringamus. Duo in hac digreſſione curſim præſtitimus. Unum, Concionatores in morum controverſiis, & in hac ipſa noſtra de blaſphemia quæſtione, doctrinam docere cum Caſuiſtarum opinationibus hoſtiliter pugnantem. Alterum, hanc Concionatorum de blaſphemia, ſicut & de aliis, doctrinam erutam eſſe ex Scripturis, & Patribus, atque adeo in conflictu auſcultandum Concionatoribus eſſe, miſſis Caſuiſtis. Negabis ne, hanc piiſſimi P. *Segneri*, aliorumque Concionatorum doctrinam, adverſus pravam blaſphemandi conſuetudinem, hauſtam eſſe ex Scripturis, & Patribus? Si id negas, illud ego evinco, & hoc evincendo in ſemitam regredior.

XXIV. Igitur quod Interpretis, Tamburini, Leandri, & cæterorum Juniorum laxa de blaſphemandi conſuetudine opinio ſit, Sacræ Scripturæ evidenter adverſa, nemo inficias ibit. Blaſphemia enim omnium ſcelerum graviſſimum eſt, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 13. *a.* 3. Idemque prius docuerant & Chryſoſtomus *in Pſal.* 95. *Nihil magis impium, quam adverſus Deum blaſphemia*. Et S. Auguſtinus lib. contra mendacium *cap.* 19. *Ideo autem pejus eſt blaſphemare, quam pejerare; quoniam pejerando falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem de ipſo falſa dicuntur Deo*. Heinc eſt, quod non adeo frequenter Patres meminerint conſuetudinis blaſphemandi. Vix enim in ſuſpicionem venire potuit, tam horrendum ſcelus in hominum morem immigrare poſſe. Cæterum ut evincam, a Scripturis, & Patribus ſceleratum blaſphemandi morem improbari, præmitto, eamdem eſſe penes omnes Probabiliſtas de perjurio, ac de blaſphemia ex conſuetudine, ſententiam. Ergo, ſi Scriptura & Patres improbant vel ipſa juramenta ex conſuetudine ob periculum pejerandi, quod ex frequenti juramento oritur; quanto ſeverius vetabunt familiarem blaſphemandi uſum? Sanctum interdum juramentum eſt: Conſcelerata blaſphemia ſemper: ergo eo ſeverius Deus blaſphemias prohibet, quo enormior perjurio blaſphemia eſt. Porro hæc adverſus jurandi conſuetudinem Deus præſcribit *Eccleſiaſt.* 23. *v.* 9. *Jurationi non aſſueſcat os tuum: Multi enim caſus in illa. v.* 12. *Vir multum jurans implebitur iniquitate.* Juramentum, ut dixi, ſæpe licitum eſt. Nihilominus, quia jurandi aſſiduitas perjurii occaſio eſſe poteſt, conſuetudinem

jurandi Deus vetat. Quanto itaque ſeverius blaſphemias; quæ nunquam licent, quæ ſemper graviſſima ſunt omnium ſcelera, prohibeat neceſſum eſt? Secundum opinionem Interpretis, ſuorumque Probabiliſtarum, Deus dicere debuiſſet: *Jurationi, blaſphemiis aſſueſcat os tuum, ut multi caſus in illis fiant veniales*. Debuiſſet dicere: *Vir parum jurans, parum blaſphemans replebitur iniquitate formali: Sed vir multum jurans, multum blaſphemans replebitur iniquitate materiali, immo juxta Tamburinum nec materiali quidem*. Quid quod Scriptura indefinite cujuſque generis peccata ex habitu deteſtatur. *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan.* 5. Item *Eccleſ.* 21. *Fili peccaſti, ne adjicias iterum*. Secundum noſtros Juniores dicendum eſſet: *Jam frequenter peccabis, ut conſuetudo peccata excuſet*. Blaſphemiæ ſunt hæ? At neceſſario conſequuntur doctrinam Interpretis, Tamburini, Leandri, aliorumque. A ſcripturis ad Patres transeamus.

XXV. S. Joannes Chryſoſtomus, *hom.* 14. *ad Populum Antiochenum*, jurandi conſuetudinem uberrima ſua eloquentia improbat, & recentiorum Moraliſtarum prætextus repellit, occluditque effugia. Inadvertentiam, quam ex conſuetudine ſive jurandi, ſive blaſphemandi obtrudunt, his verbis rejicit *n.* 2. *Nec enim hoc ſolum habet mali juramentum, quod & temeratum, & ſervatum juratos pœnæ faciat obnoxios ... ſed & aliud non minus iſto malum. Quod autem hoc eſt... Quia frequenter & volens, & invitus: & neſciens, & ſciens: & ſerio, & joco loquens, & ab ira ſæpe elatus, & a multis aliis, omnino pejerabit: & his contradicet nemo: uſque adeo planum, & manifeſtum eſt, quod multum jurantem perjurum eſſe neceſſarium ſit*. Inter mala ergo, quæ frequentiam jurandi, & blaſphemandi conſequuntur, S. Epiſcopus recenſet, quod *neſciens*, & *ſciens* jurabis, & blaſphemabis? Clarius verſus finem ejuſdem homiliæ futilem conſuetudinis excuſationem deteſtatur. *Nec putare idoneam eſſe nobis defenſionem, ſi conſuetudinem prætendamus. Quod enim excuſatio hæc ſit, & prætextus, nec conſuetudinis, ſed torporis ſit culpa, ab his, quæ jam evenere vobis, perſuadere conabor. Civitatis balnea Imperator obſtruxit, & lavari juſſit neminem: & legem transgredi eſt auſus nemo, aut factum incuſare, aut conſuetudinem prætendere ...*

Quo-

Quomodo igitur non abſurdum Imperatore jubente vel difficillima ſuſtinere; Deo vero ſtatuente id, quod nec grave eſt, neque difficile, verum perquam facile, & commodum, contemnere, deridere, & conſuetudinem prætendere? Similia habet *hom.* 20. ad eumdem Populum. Item *hom.* 1. & 2. Denique *in Pſal.* 49. docet, conſuetudinem pravam mentis cæcitatem inducere. *Longa enim vitiorum conſuetudo magnam affert cæcitatem, & amentes efficit, & perſpicaces oculos intelligentiæ eruit.* Item *hom.* 7. *n.* 7. *in Epiſt.* 2. *ad* Cor. *Magna quippe, magna, inquam, conſuetudinis vis, atque adeo tanta, ut in naturæ neceſſitatem migret.*

XXVI. S. Auguſtinus pluribus in locis Recentiorum Probabiliſtarum fucos, & prætextus inconſiderationis, conſuetudiniſque, quibus horrorem perjurii, & blaſphemiæ obtegere conantur, diſpellit. *Lib.* 19. *contra Fauſtum cap.* 23. hæc ſcribit: *Apoſtolus in ſermonibus, quos habuiſſe narratur, nunquam juravit, ne jurandi conſuetudine aliquando vel Neſciens in perjurium laberetur.* Leges ibi plura. *Item lib. de Mendac. cap.* 15. Sed fuſius verſat hoc argumentum *ſer.* 30. de verbis Apoſtoli, ubi exponit illud *Jacobi* 5. *ante omnia nolite jurare*, ubi poſt medium ſermonis hæc inter alia ſcribit: *Quare ergo* ante omnia? *Iſto verbo quod ait*: ante omnia, *cautos nos facit adverſus linguam noſtram.* Ante omnia, *ait*, *ut attendatis præ cæteris, ut vigiletis, ne ſurrepat vobis conſuetudo jurandi .... Noles ut diceret tibi:* ante omnia, *ut te adverſus conſuetudinem intentiſſimum redderet, ut omnia tua inſpiceres, omnes motus linguæ tuæ diligentiſſime cuſtodires, eſſes cuſtos malæ conſuetudinis tuæ? Ad eam conſtringendam audi:* ante omnia. *Dormiebas pungo, ante omnia ſpinas admoveo. Quid eſt* ante omnia? *Ante omnia vigila: ante omnia intentus eſto. Juravimus & nos, paſſim habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & mortiferam.* Non eſt mortifera conſuetudo, opponunt Probabiliſtæ, quia tollit advertentiam jurandi, & blaſphemandi. Sed perſequamur quæ ſubdit Auguſtinus: *Dico Charitati veſtræ, ex quo Deo ſervire cæpimus, & quantum malum ſit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus.* Poſt pauca, objicit ſibi Auguſtinus tritam excuſationem Recentio-

tiorum. *Sed conſuetudo eſt, ſolet dici. Solet dici, quando non dico:* ante omnia. *Quid eſt, ante omnia? Præ cæteris cautus eſto, plus ad hoc intentus eſto, quam ad alia. Major conſuetudo majorem intentionem flagitat.. Lingua facilitatem habet motus: in udo poſita eſt, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius, & facilius movetur, tanto tu adverſus illam fixus eſto. Domabis ſi vigilabis, vigilabis ſi timebis, timebis ſi Chriſtianum te eſſe cogitaveris.* Poſtremum ſub finem ſermonis omnes hortatur, ut *attenti ſint adverſus conſuetudinem ſuam, & admoneant ſe hodie cum ad domos ſuas venerint, cum conſuetudinem ſuam, ideſt, lapſum linguæ repetiverint, admoneat proximus proximum. Hoc eſt quod hodie audivimus, hoc eſt quod obſtricti ſumus.*

XXVII. Si tanto zelo Patres detonant adverſus jurandi conſuetudinem; quanto ferventius, acriuſque non declamarent adverſus blaſphemandi morem? In hunc quoque invehitur Chryſoſtomus, ſed rarius, quod tam teterrima, & horrenda conſuetudo non hominum, ſed dæmonum ſit. Dicant nunc perdocti Probabiliſtæ: ſi blaſphemiæ & perjuria ex conſuetudine, aut nulla crimina eſſent, aut levia, tanta ne ſeveritate jurandi, & blaſphemandi morem Patres improbarent? Tanta ne eloquentia urgerent homines, qua increpationibus, qua precibus, qua minis, & ſuppliciis ad evellendam teterrimam, & praviſſimam conſuetudinem? Quid ad hæc quæſo? Dicturus ne es, Patres improbare juramenta ex conſuetudine, ſecus blaſphemias? Sed tantam ſtultitiam a nemine pronunciandam crediderim. Velint ergo, nolint, fateantur neceſſe eſt, Patres Sanctos damnare non modo perjuria, & blaſphemias ex conſuetudine prolatas, ſed vel ipſam conſuetudinem jurandi, tametſi juramentum licitum abſolute ſit; quia aſſiduitas perjurii occaſio eſſe poteſt. Si vera eſſet Probabiliſtarum opinio, falſa foret Scripturarum, & Patrum doctrina, injuſtæ objurgationes, pernicioſi hortatus. Perjuria, & blaſphemiæ, ablata conſuetudine, ſcelera ſunt æterna morte, & terrenis pœnis mulctanda. Si ſint ex conſuetudine, ex habitu, gravi malitia carent, & nec damnationi æternæ, nec reſervationi Epiſcoporum ſubjacent. Ergo non expellendæ, ſed retinendæ, fovendæque ſunt conſuetudines iſtæ? Valeant ergo Patres, valeat Cathechiſmus Concilii Tridentini,

tini,

Digitized by Google

tini, qui *par.* 3. *in* 2. *præcep. c.* 3. §. 13. inter alia plura hæc habet: *Infinita enim fere mala ex jurandi* (multo magis ex blaſphemandi) *nimia conſuetudine emanare, & ſacrarum Literarum auctoritate, & Santiſſimorum Patrum teſtimoniis comprobatum.*

XXVIII. Sed accedamus ad omnium Patrum exquiſitum Epitomen S. Thomam Aquinatem, qui 2. 2. *q.* 89. *a.* 2. *ad* 1. hæc docet: *Dicendum eſt, quod (ſicut Auguſtinus dicit in lib. de mendacio) Apoſtolus in Epiſtolis ſuis jurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt: dico vobis non jurare omnino: ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur: & ex facilitate jurandi ad conſuetudinem, & a conſuetudine in perjurium decidatur; & ideo non invenitur juraſſe, niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.* Cum hæc adeo comperta ſint, non erubeſcunt quidam Probabiliſtæ, præcipue P. La Croix, in patrocinium laxæ opinionis allegare Angelici Doctoris textum ex hac 2. 2. *q.* 98. *a.* 3. *ad* 2. ubi hæc habet: *Ille autem, qui ex lapſu linguæ falſum jurat, ſi quidem advertat, ſe jurare, & falſum eſſe quod jurat, non excuſatur a peccato mortali, ſicut nec a Dei contemptu. Si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo a crimine perjurii excuſatur.* Argumentum, quod ſibi objicit Angelicus, eſt, utrum *ſemper* peccet mortaliter qui jurat per Deum? Illius reponſio eſt, hunc non ſemper peccare; quia, ſi ex lapſu linguæ juret, & invincibili inconſideratione non advertat, ſe jurare, tunc a perjurii crimine liber eſt. Porro ne vel in ſimile perjurium quis incidat, laudata *q.* 89. *a* 2. *in c.* ad linguæ cuſtodiam hortatur: *quia*, inquit, *imminet etiam periculum perjurii: quia de facili homo in verbo delinquit ſecundum illud Jacobi* 3. *ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Unde Eccleſ.* 23. *dicitur: Jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa.*

XXIX. Verum, ut omnium adverſariorum os obſtruatur, doctrinam ex S. Thoma huc tranſcribo, quæ nulli ſubjacet cavillationi. Docet ille abſolute eos, qui ex conſuetudine, ſeu habitu peccant, gravius, intenſius, enormiuſque peccare. *Ubi eſt* (inquit 2. 2. q. 156. a. 3. in c.) *major inclinatio voluntatis ad peccandum, ibi eſt gravius peccatum. In eo autem, qui eſt intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum*

Digitized by Google

ex propria electione, *quæ procedit ex HABITU PER CONSUETUDINEM acquiſito*. Verum hæc obiter. Pro dignitate, & data opera hoc argumentum verſat 1. 2. *q.* 78. *a.* 2. cujus hic eſt titulus: *Utrum quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*. Cui quæſito hoc præbet reſponſum: *Quandocumque utitur habitu vitioſo, neceſſe eſt, quod ex certa malitia peccet. Quia unicuique habenti habitum eſt per ſe diligibile id, quod eſt ei conveniens ſecundum proprium habitum, qui ſic fit ei quodam modo connaturale, ſecundum quod conſuetudo, & habitus vertitur in naturam. Hoc autem, quod eſt alicui conveniens ſecundum habitum vitioſum, eſt id, quod excludit bonum ſpirituale: ex quo ſequitur, quod homo eligat malum ſpirituale, ut adipiſcatur bonum, quod eſt ei ſecundum habitum conveniens: & hoc eſt ex certa malitia peccare. Unde manifeſtum eſt, quod quicumque peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*. Lege etiam *ar.* 3. & 4. ejuſdem quæſtionis, ubi plura offendes, quæ veritatem hanc alioquin luculentiſſimam confirmant. Hanc eamdem doctrinam docent Patres omnes. Chryſoſtomus, ut vidimus, conſuetudinem alteram appellat naturam. Auguſtinus vocat habitum vitioſum modo *ſecundam, & affabricatam naturam*, modo catenam ferream, qua plurium annorum ſpatio aſtrictus fuit.

XXX. Ut quam ſit & Interpretis, & aliorum Probabiliſtarum laxa, & quaſi dixerim erronea, horroriſque pleniſſima doctrina appareat, recurrat ſub oculos Interpretis textus. Reſervationi non ſubeſt, *ſi blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex prava conſuetudine blaſphemandi: Nam venialia non reſervantur*. Blaſphemia, ut diximus, eſt omnium ſcelerum horrendiſſimum. Ergo ſi prava conſuetudo a gravi malitia blaſphemos purgat; potiori jure a gravi malitia immunes conſtituet eos, qui fornicantur, qui adulterantur, qui furantur, qui occidunt, qui uſuras exercent? Aberras, atque Probabiliſticæ doctrinæ jejunum te prodis. Diſtant quam longiſſime a peccatis linguæ, & mentis, exteriora facinora, cujuſmodi ſunt adulteria, furta, fornicationes, homicidia. Scitiſſime. Primum enim extra controverſiam eſt, juxta Probabiliſtas, blaſphemos, perjuros, detractores, calumniatores, conviciatores, contumelioſos, qui ex habitu

pec-

peccant, gravis culpæ expertes eſſe. Suavis quippe, & benigna iſtorum malitia, quia abſque mentis conſideratione eſt, & conſcientiæ morſibus. Quod ſi perjuria, blaſphemiæ, hæreſes, calumniæ, cæteraque linguæ crimina vitioſo habitu, & depravata conſuetudine parta, gravem malitiam exuunt; potiori jure delectationes moroſæ, venerea deſideria, affectioneſque impudicæ, bonorum proximi cupiditates: ne multa: omnia flagitia contra nonum, & decimum Decalogi Mandatum, leviuſculæ noxæ erunt, dummodo mens humana veternoſiſſimo, & putridiſſimo habitu hoc in luto veluti ſus volutetur. Hæc omnia concedant, neceſſe eſt, Probabiliſtæ citati. Nam facilius labitur mens aſſueta libidini, avaritiæ, in interiores oblectationes, & deſideria libidinoſa, quam lingua in perjuria, blaſphemias, hæreſes, & calumnias. Ergo ſi hæc omnia, quidni & illa gravi carebunt malitia? Cæterum ipſum diſcrimen inter utriuſque generis peccata aſſignatum, commentitium eſt. Siquidem, quænam libertatis ſedes? Voluntas. Perverſa conſuetudo pejerandi, blaſphemandi, hæreſes pronunciandi, voluntati libertatem adimit; Probabiliſtis fatentibus: Ergo & voluntati fornicandi, furandi, adulterandi, occidendi. Probo conſequentiam. Actio exterior juxta S. Thomam non addit eſſentialem malitiam actui interiori. In ipſa voluntate tota ſubſtantia, & natura malitiæ ſiſtit, veluti in ſuo centro: ergo quam libertatem conſuetudo prava voluntati adimit in regimine linguæ, eamdem illi aufert in aliorum membrorum uſu. Externorum membrorum uſus, inquis, facilius, & fortius mentem, ſenſuſque excitant, vellicant, & ad conſiderandum impellunt. Verum id natura ſua habet. Cæterum inveterata malitia prævalente, homines pravis habitibus devincti, omnia alia, dum fornicantur, furantur, percutiunt, præter malitiam, conſiderant, advertunt, meditantur. Tandem, ut ut exteriorum actuum res ſe habeat, illud ſat eſt ad improbandam Recentiorum doctrinam, quod doceant, graviſſima linguæ, & mentis flagitia perverſa conſuetudine mentem fæcundante genita, aut nulla, aut levia eſſe crimina.

XXXI. Loquantur tandem & ipſi Probabiliſtæ, ſuaque exerant arma in propriæ cauſæ defenſionem. Indicata inter diſ-

putandum ſunt illorum argumenta , obiterque ſoluta . Verum quia ea , quæ ut ſe defendant , opponunt , alia abſurda pariunt ; iccirco enucleatius excutere debemus . Vix propugnari falſa doctrina poteſt, quin in pejores incidat defenſio errores . Arguunt ergo illi : Qui ex habitu vitioſo , & iniqua conſuetudine pejerant , blaſphemant, hæreſes evomunt, haudquaquam ſe peccare , ſeu blaſphemare , pejerare , convitiari advertunt. Conſuetudo enim, quæ altas in anima radices agit, cum veluti in naturam mutata ſit, mentem ſecum abripit, linguaque aſſuefactionis pondere inflexa, inconſiderata mente pejerat , blaſphematque . Ignorantia , ſeu inconſideratio hæc libertatem aufert , ergo & malitiam . Peccatum enim nullum , libertate ſublata , ſicuti nulla abſque mentis cognitione libertas.

XXXII. In hac Recentiorum doctrina , qua ſuam tueri cauſam ſtudent , præter ea , quæ hactenus dicta ſunt , purus , putuſque continetur Pelagianiſmus , pro ut mox evidenti , niſi me omnia fallunt , ratiocinio evincam . Prius tamen admonere lectorem juvat , præfatum ſophiſma centum in locis ſolvere S. Thomam . Et quod caput eſt, de ignorantia conſequente habitum pravum, hæc habet 1. 2. *q.* 76. *a* 4. *ad* 1. *Ignorantia*, *ſecundum quam omnis malus eſt ignorans* , *non eſt cauſa peccati* , *ſed aliquid conſequens ad cauſam*, *ſcilicet ad paſſionem* , *vel habitum inclinantem in peccatum* . Hæc autem ignorantia conſequens habitum non diminuit , ſed auget malitiam , ut evincit in eodem articulo , & *q.* 78. *a.* 4. *ad* 1. ubi objicit ſibi ignorantiam conſequentem inveteratum peccandi uſum, reſpondetque . *Ad* 1. *dicendum*, *quod ignorantia electionis* , *de qua objectio procedit*, *neque excuſat* , *neque diminuit peccatum . Unde neque major ignorantia talis facit eſſe minus peccatum*.

XXXIII. Indicavi *num.* 4. in doctrina Interpretis, aliorumque , quos ille citat , Theologorum , *Ignorantiſmum* contineri , & Pelagianiſmum . Ignorantiſmus peccata ignorantiæ rejicit. Unus ex capitalibus Pelagii , ſeu verius Cæleſtii erroribus , Ignorantiſmus eſt , ut teſtantur Auguſtinus & Hieronymus . Hæc quippe eſt Cæleſtii argumentatio , quam ſub perſona Critoboli S. Hieronymus perhibet *lib.* 1. *Dialog. adverſ.*

verſ. Pelagianos. Rogo, quæ eſt juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & cujus rei, quam neſcio, pœnas luo? Et quid plus faciam, ſi ſponte peccavero? S. Hieronymus innumeris veteris Teſtamenti textibus evincit, admittenda eſſe ignorantiæ peccata. Cæleſtius Hieronymum provocavit, ut ex Evangelio, ſi potis eſt, id evincat. *Numquid* (ſcribit Hieronymus lib. 2. Dialog.) *& de Evangelio poteris hoc probare, ut puniatur quiſque pro eo quod neſciat, & ante pœnas luat, quam reus ſit conſcientiæ.* Hieronymus os Cæleſtii obſtruit allegatis ex univerſo Novo Teſtamento luculentiſſimis teſtimoniis. Janſenii interpretamentum, quo contendit Cæleſtium loqui de ignorantia invincibili, huncque errorem in Synodo Dioſpolitana damnatum fuiſſe, commentum eſt, & ab Eccleſia damnatum. Expoſitio itidem Terilli, qua defendit errorem Cæleſtii in hoc ſitum eſſe, quod is negaret ignorantiam eſſe pœnam originalis culpæ, evidenter falſa eſt. Hieronymus in duobus libris præfatis adverſus Pelagianos nec meminit originalis culpæ. Utique Pelagiani negantes peccatum originale, conſecutione neceſſaria negabant ignorantiam eſſe ejuſdem partum. At error de peccato originali diſtinctus omnino fuit ab hac altera quæſtione: Utrum ſine actuali advertentia, ſeu utrum peccare nos poſſimus, quin ſciamus nos peccare. Hoc negabant Pelagiani: & hunc errorem damnavit una cum cæteris erroribus Eccleſia. Veritas ergo fidei eſt, admittenda eſſe ignorantiæ peccata. Heinc perſpectam habes Epocham invectæ laxitatis in Evangelicam moralem. Quibus enim principiis Pelagiani liberi arbitrii vires plus juſto ampliarunt, divina interiore Gratia, & ignorantiæ peccatis de medio ſublatis, iiſdem Ethices Chriſtianæ rigorem laxarunt. Quoniam quo altius illi extollebant humanæ voluntatis poteſtatem, eo profundiores agebat ſuperbia radices, ſuperbiam comitatur ignorantia. Et hæc duo ſunt ampliſſima corruptæ Moralis principia. Enim vero, ſi nemo peccat, niſi cum ſe peccare cognoſcit, quiſque ſe judicare poteſt, utrum odio, vel amore dignus ſit. Superbia ex alia parte tam denſam emittit caliginem, ut mentem prorſus obnubilet, obſcuretque. Peccabunt ergo

 homi-

homines peccata graviſſima, quin cujuſque malitiæ ſontes evadant, quia minime ſe peccare advertunt.

XXXIV. Porro, admiſſa opinione Interpretis, & Probabiliſtarum, Pelagianiſmus de ignorantiæ peccatis neceſſario conſequitur. Negant enim iſti, blaſphemias, hæreſes, perjuria, eſſe peccata, ob defectum actualis advertentiæ. Negant, hominem ſine hac actuali cognitione peccare poſſe; evidens ergo eſt, eoſdem de medio tollere omnia ignorantiæ peccata. Ergo illum iſti *Ignorantiſmum* defendunt, quem in Pelagianis Eccleſia proſcripſit. Ex hoc Ignorantiſmo prodiit, ceu legitima proles, *Philoſophiſmus* ſimiliter ab Eccleſia damnatus. Enim vero ſi defectus actualis advertentiæ blaſphemandi impedit quominus blaſphemia peccatum ſit: obſtat quoque ne Deus offendatur, dum mens de eodem actu non cogitat; ſi vero ad honeſtatem naturalem ſimul advertat, hancque violet, tum philoſophicum, non Theologicum peccatum peccabit.

XXXV. Brevem aliam digreſſionem, quæ parum a ſcopo recedit, impertiri mihi a Lectore poſtulo. Audivi nudius tertius eruditos viros inficiantes ignorantiam invincibilem Dei conſequi Philoſophiſmum, & cætera, quæ eumdem comitantur, abſurda. Propugnant iſti reperiri reapſe poſſe Atheum, quem vocant negativum, invincibiliter Deum ignorantem, Wolfii allegata auctoritate ex ſua Naturali Theologia *p.* 2. §. 427. *& ſeq.* Rationis momentum ibi in ejuſmodi Athei favorem adductum facto nititur, quod perhibet Hiſtoriæ Accademiæ Regiæ ſcientiarum Pariſ. an. 1705. Juvenis ruſticus annorum 24. a nativitate ſurdus & mutus, fortuito auditu & lingua donatus, a Theologis curioſe accurateque inquiſitus fuit, habuiſſet ne unquam aliquam Dei notitiam? Severo peracto examine, & ruſtico conſtanter adfirmante, nunquam ſibi aliquam Dei notitiam illuxiſſe, tametſi cum Parentibus & incruento Sacrificio aſſiſteret, & Crucis ſignum formaret, genua flecteret, aliaque ſimilia; concluſum eſt, invincibiliter illum Deum ignoraſſe. Et hoc potiſſimum teſtimonio nixus Wolffius Deum invincibiliter ignorari poſſe defendit. Verum ſi reorum, ſeu ignorantium teſtimoniis unice ſtandum ſit, nulla in rerum natura dantur ignorantiæ crimina. Quænam eſt ignorantiæ ſive invincibilis, ſive vincibilis

Digitized by Google

lis notio? Privatio cognitionis. Si enim cujuſdam notitiæ radius illuceat rei ſciendæ, non ignorantiæ, ſed malitiæ crimen eſt. Ruſticus præfatus teſtatus eſt, ſe nunquam de Deo cogitaſſe. Eſto. Quid inde? Non ſane aliud, niſi Deum ignoraſſe. Ergo abſque culpa? Hæc ſane illatio ne Logicæ quidem Tyrunculo, nedum celeberrimo, doctiſſimoque Philoſopho Wolffio digna. Aliunde ergo, quam ab ignorantium hominum teſtimoniis, repetenda eſt aut culpa, aut innocentia ignorantiæ. Quoniam iſti non aliud teſtari valent, niſi quod revera Deum ignorent. At adfirmare ne valent, ſe vigiles, ſollicitoſque fuiſſe in Divini Numinis inquiſitione? Adfirmare ne valent, nullius ſe negligentiæ, nullius torporis, nullius indiligentiæ reos eſſe, vel fuiſſe in inveſtigatione veritatis, in aperiendis mentis oculis cæleſti luci, qua Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si nil horum, ex quibus aut malitia, aut innocentia colligitur ignorantiæ, teſtari iſti valent; quid mihi ruſticorum ignorantium obtrudis teſtimonium, ut evincas ignorari invincibiliter Deum poſſe? Eruas heinc obiter velim, quam vana ſit plurium Caſuiſtarum argumentatio. Severiſſime, inquiunt, examinavi hos, illoſque juvenes, & conſtanter teſtati ſunt, ſe nunquam credidiſſe pollutionem, fornicationem, furtumque peccatum eſſe: Ergo ignorantia iſtorum invincibilis eſt. Quam, inquam, ſit ineptum ratiocinium iſtud, ex paucis, quæ delibavi, palam eſt. Negamus ergo, & pernegamus, reperiri poſſe Atheum negativum invincibiliter Deum ignorantem.

XXXVI. Inſtabant eruditi viri. At quid reſponderes illis, qui oppoſita opinione convicti negarent ex hac invincibili ignorantia conſequi illa abſurda, quæ ex Philoſophiſmo Caſuiſtico ſponte fluunt?

Repoſui, Philoſophiſmum neceſſario conſequi ex hypotheſi ignorantiæ invincibilis Dei. Invicta quippe eſt argumentatio iſthæc. Fidei veritas eſt, ignorantiam vere invincibilem a peccato excuſare: Ergo qui Deum eſſe invincibiliter ignoraret, Deum offendere nequiret. Reſponſum fuit: *Nimis ampla illatio, quæque antecedentis capacitatem excedit. Qui invincibiliter Deum ignorat, non peccat, Deum non recognoſcens, non colens, non diligens, verum habet. Non ignorat autem proximum*

ximum eſſe diligendum, non eſſe contra ipſum aliquid committendum, quod ſibi fieri non vult: Ergo ſi contra ipſum peccet, & Philoſophicum, & Theologicum eſt ejus peccatum. Quam ſibi conſtet hæc ultima conſequentia, nemo non videt. Legitima enim illatio hæc eſt: ergo illius peccatum Philoſophicum eſt, non Theologicum. Nam ſi nemo peccat in eum, quem ignorat, peccare profecto nequit in Deum, quem ſe ignorare docent. Porro peccatum, quod non eſt in Deum, nequit Theologicum appellari. Cedo. Si quis proximum invincibiliter ignoraret, peccaret ne ipſum occidendo? Occidis Fratrem invincibiliter exiſtimans eſſe feram, peccas ne? Minime inquis. Invincibiliter Deum pro lapide habes: Ergo nullo modo in Deum peccas: Ergo veræ & legitimæ ſunt omnes conſequentiæ, quæ ex Philoſophiſmo deduci ſolent. Reponebant eruditi viri. *Quantumvis ſupremum Numen quis ignoret, videlicet, quod omnia malefacta in judicium adducat, improbet, puniat, hujuſce tamen ſummæ, & increatæ Juſtitiæ, & Veritatis radium fronti indelebiliter geſtat impreſſum.* Recte, & vere. Ergo in fumum occidit jactatus negativus Atheiſmus. Increata Veritas, increata Juſtitia Deus eſt: Ergo ſi radius increatæ Veritatis in omnium animis impreſſus ſit, in omnium animis Dei notio inſculpta eſt. Eruditorum itaque ratiocinium eo tandem recidit, ut illi de medio tollant quamlibet inculpatam Dei ignorantiam, negentque Atheiſmum illum innocentem, quem prius propugnandum cum Wolffio ſuſceperant. Verum hæc obiter dicta ſint, ut votis ſatisfacerem eruditi viri, qui in Epiſtola ad Amicum data hoc magnopere flagitabat.

XXXVII. Riſu fortaſſe, & cachinnis *Interpres* Caſuum, & cæteri Probabiliſtæ excepturi ſunt quæ hactenus diverticuli ergo ex eruditis viris recenſuimus. Si enim, qui proximum lædit, Deum offendit, ut contendebant iſti; potiori jure, qui Deum blaſphemiis inceſſit, in Deum graviſſimum ſcelus peccat, tametſi actu de Deo non cogitet, nec advertat. Verum qualecumque ſit illorum ſuper iis judicium, nihil mea id intereſt. Satis mihi eſt, invictis rationum momentis feciſſe palam, blaſphemias ex conſuetudine, non levia, ſed graviſſima eſſe ſcelera. Satis mihi eſt, & veritatem

ſummi

Digitized by Google

ſummi momenti, & Epiſcoporum, qui reſervant crimina blaſphemantium ex conſuetudine, prudentiam, ſapientiamque ab ineptis interpretamentis vindicaſſe. Satis tandem mihi eſt, ab Hæreticorum calumniis Catholicorum doctrinam vindicaſſe. Familiare quippe Hæreticis eſt, quorumdam Catholicorum errata in univerſæ Romanæ Eccleſiæ doctrinam regerere. Porro doctrina, quam de conſuetudine blaſphemandi hactenus refutavi, adeo laxa, & ſcandali plena eſt, ut vel ipſi Hæreſiarchæ Calvino horrorem incutiat. Ut aliquo tangantur pudore Caſuiſtæ illi, qui gravis culpæ expertem effutiunt blaſphemandi, pejerandique conſuetudinem, lubet tranſcribere quæ contra aſſuetudinem jurandi Calvinus ſcribit *lib.* 2. *Inſtitut. cap.* 8. §. 25. „ Vile, & vulgare redditur „ Dei Nomen, cum veris quidem, ſed ſupervacuis juramen- „ tis adhibetur. Siquidem accipitur hic quoque in vanum. „ Quare non ſatis fuerit a perjurio abſtinere, ni ſimul me- „ minerimus, jusjurandum, non libidinis, aut voluptatis, ſed „ neceſſitatis cauſa permiſſum, & inſtitutum, ideoque extra „ licitum illius uſum egredi, qui rebus non neceſſariis ac- „ commodat. Porro non alia prætendi neceſſitas poteſt, „ quam ubi vel Religioni, vel charitati eſt ſerviendum. „ *Qua in re nimis licentioſe bodie delinquitur, eoque intolera-* „ *bilius, quod aſſuetudine ipſa pro delicto imputari deſiit, quod* „ *certo apud Dei Tribunal non parvo æſtimatur. Paſſim enim* „ *promiſcue temeratur Dei nomen in nugacibus colloquiis: næ* „ *male fieri putatur, quia in tantæ improbitatis poſſeſſionem* „ *longa, & impunita audacia ventum eſt.* „ Quæ non ſcriberet adverſus frequentiam blaſphemandi, ſi tam acriter invehitur contra aſſuetudinem jurandi vel ipſam veritatem? Hactenus contra blaſphemos. Nunc nonnulla alia ejuſdem *Interpretis* ſub examen induco.

INTERPRES pag. 9.

Quæritur ſeptimo: an reſervationem incurrat, qui non mere ſubjective dubius de reſervatione blaſphemiæ, qui dubius de reſervatione blaſphemiæ, vel de reſervatione talis blaſphemiæ, blaſphemet? Reſp. Negative. Nam juxta noſtram Regu-

lam

lam quartam non ſunt reſervata ita, ut reſervatio incurratur, peccata, de quorum reſervatione QUOMODOCUMQUE dubitetur. In altera editione in 8.° deeſt *To Quomodocumque*. Cur autem aut inſertum ſit libello grandioris formæ, aut non correctum, ſi diſplicet, penes Authorem ſit.

XXXVIII. Hoc poſtremo interpretamento mirum in modum confirmat quæ ſuperius docuit, ut nempe penitus eludat reſervationis decretum. Quoniam ſi argumenta, inquit ille, hactenus allata, te minime revincerent, nempe blaſphemias ex conſuetudine non eſſe reſervatas, negare ſaltem nequis, hoc a Theologis junioribus in diſputationem adduci. Sed quod in utramque partem Theologi diſputant, dubium eſt: Quod autem dubie tantum reſervatum eſt, a reſervationis lege immune eſt: Ergo blaſphemiæ ex conſuetudine nullo modo reſervatæ ſunt. Et quod ſummopere animadvertere debes, hæc de blaſphemia doctrina univerſalis eſt pro omnibus caſibus reſervatis ſive Papalibus, ſive Epiſcopalibus.

XXXIX. Ita ne vero? At ſacra Congregatio Concilii ex *ſpeciali mandato* Clementis VIII. Decretum edidit an. 1601. die 9. Januarii, quo vetuit, ne quis cujuſque privilegii prætextu a caſibus *dubie* reſervatis abſolvat. Hæc ſunt verba Decreti. *Ne quis &c.... Sub prætextu privilegiorum ab ullo ex caſibus clare vel dubie reſervatis in Bulla in Cæna Domini legi ſolita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel reſervandis abſolvat*. Hæc ſacra Congregatio interpretis officio fungitur. Nullum jus condit, ſed jus interpretatur. Porro Decretum iſtud adverſus Regulares latum eſt, quod vi ſuorum privilegiorum contendebant in caſus reſervatos juriſdictionem. Sacra autem Congregatio declaravit, Regulares, ad hoc quod attinet, communi juri ſubjectos eſſe: & quemadmodum Confeſſarii Sæculares nequeunt a caſibus ſive *dubie*, ſive *clare* reſervatis abſolvere, ita neque Regulares. Nec eſt quod opponas, in altero Decreto ejuſdem Clementis VIII. juſſu edito anno 1602. die 26. Novemb. nullam fieri iſtius particulæ *dubie* mentionem. Quoniam inepta fuiſſet ejuſmodi repetitio. Declaratum jus erat: ut quid ergo eamdem repetere interpretationem? Quid, quod non minus

nus

Digitized by Google

nus vox *dubie*, quam vox *clare* omiſſa in hoc ſecundo Decreto ſit? Si ex omiſſione vocis *dubie* colligeretur juriſdictionis poteſtas in caſus *dubie* reſervatos, eadem ratione colligeretur ex omiſſione vocis *clare* poteſtas in caſus *clare* reſervatos, quod nemo dixerit. Accedit, quod opinio Interpretis damnata videatur in prima propoſitione Innocentii XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore* &c. Poteſtas autem juriſdictionis dubio procul ad valorem Sacramenti pertinet, cum, ea ſublata, nullum prorſus Sacramentum ſit. Plurima alia omitto ne brevitatis limites tranſiliam.

XL. Quæ hactenus allata ſunt, reponit *Interpres* caſuum, evincunt dumtaxat, opinionem meæ contrariam eſſe probabilem, quod & ipſe fateor. At mea quoque ſententia probabilis eſt. Sit, per me licet, probabilis opinio tua. At cum oppoſita ſit tutior, tua rejecta, hæc amplectenda eſt, ſic præcipiente Eccleſia. Falleris, reponit Interpres, ſenſumque ignoras proſcriptæ theſis. Diſtinguas oportet cum eruditis Junioribus, & potiſſimum cum P. Dominico Viva in hac *prop. n.* 20. opinionem probabilem, quæ formam, materiamque Sacramenti ſpectat, ab opinione probabili, quæ juriſdictionem reſpicit. In priori, non in poſteriori caſu, relicta probabili opinione, amplectenda tutior &c. Quid acutius excogitari poterat? Eccleſia damnat uſum probabilitatis in iis, quæ ad valorem pertinent Sacramenti. Ad Sacramenti valorem eſſentialiter pertinet juriſdictio, ſine qua, omnibus fatentibus, Sacramentum nullum eſt. Ergo damnatus eſt uſus juriſdictionis probabilis relicto tutiore in Sacramentis conferendis. Quid ergo hic materiam, formamque Sacramenti obtrudis, cum in theſi proſcripta nulla iſtorum mentio ſit? Cur ſequendam tutiorem in uſu materiæ, & formæ aſſeris? Alii dicent, Pontificem præcipere uſum ſententiæ tutioris, dum diſputatur de juriſdictione, ſecus dum diſputatur de materia, & forma. Et qua ratione hanc tu rejiceres interpretationem, eadem alii reſpuunt tuam, ut arbitrariam, & chimæricam. Nam Eccleſia abſolute damnat uſum opinionis probabilis in iis, quæ *valorem* ſpectant Sacramenti: ergo ſive valor iſte a juriſdictione, ſive a materia, formaque pendeat, perinde eſt. Propoſitio enim, ad hoc quod attinet, in-

Digitized by Google

definita eſt: ergo omnia ad valorem pertinentia comprehendit.

XLI. Occurrit ne diſcriminis ratio? Quammaxime, ſubdit Interpres. Quænam amabo te? Hæc quam aſſignant noſtri Recentiores. Cum opinio probabilis verſatur circa materiam, & formam Sacramenti, tum fruſtrationis periculo illud exponitur: ſecus in uſu opinionis probabilis de poteſtate juriſdictionis. Cur hoc? Quia Eccleſia Parens pientiſſima, ſi juriſdictio deſit, ſupplet. Hocce ne diſcrimen? An non vides futilem hanc eſſe principii, ut vulgo dicitur, petitionem? Eccleſia abſolute præcipit amplectendam in Sacramentorum adminiſtratione tutiorem ſententiam. Deliberato animo tutior rejicitur, quia ſi juriſdictio deſit, Eccleſia ſupplebit? Si ſupplere Eccleſia vellet, non præciperet uſum tutioris, proſcripta probabilitate. Eccleſia ſupplet in re dubia, dum urget neceſſitas, & ut ſuccurrat indigentibus: ſecus ut faveat Probabiliſtis pro ingenio opinantibus. Iterum reponunt iſti. Num Eccleſia clementiſſima Mater æternum tot animas perire patietur? Juriſdictionis defectum ſupplere illa valet: Nulla vero in materiam, & formam poteſtate pollet: idcirco harum inopiam ſupplere nequit. Juriſdictio tota illius eſt. Ergo, ut pie de illa ſentiamus, dicere cogimur, abſolutionem probabili juriſdictione collatam, eidem probari. Hæ ſunt argutationes probabiliſticæ, quas jam convellimus, dicendo, pientiſſimam Matrem Eccleſiam eſſe, ut ſuccurrat filiis in neceſſaris, ſecus ut faveat in ſuperfluis. Adverſarii, ut *Probabiliſmi* juriſdictionem amplificent, dubiam, ſeu probabilem in Sacramenta juriſdictionem ſuppleri ab Eccleſia contendunt. Ut eos ad incitas redigam, admitto, probabilem eſſe a pietate Matris Eccleſiæ repetitam argumentationem. Negabunt ne illi tutiorem eſſe oppoſitam, quam nos defendimus? Ergo in Sacramentorum uſu hæc, contraria rejecta, amplectenda eſt. Si dixerint, opinionem ſuam *certam*, nedum probabilem eſſe, ut his cuniculis penitus eludant Eccleſiæ Doctrinam, aſſignent nobis iſtius *certitudinis* principia. Nam argumentatio ex pietate, & clementia Eccleſiæ deducta, ad ſummum, probabilem opinionem reddit, quæ in Sacramentorum uſu falſa evadit. Ut quam ſit perridicula hæc conficta certitu-

do-

Digitized by Google

do palam fiat, ob oculos revocentur Decreta Clementis VIII., & argumentationes inde collectæ. Poſt, hæc alia adjiciantur. Eccleſia, tametſi Mater clementiſſima, non ſupplet juriſdictionis defectum, dum Confeſſarius ignorans caſum eſſe reſervatum, ab eodem abſolvit: ergo neque dum abſolvit ab eo, de quo dubitatur, ſit ne reſervatum. Antecedens vel ipſorum Adverſariorum confeſſione verum eſt, potiſſimum in caſu, quo unicum peccatum reſervatum, aut reſervata excommunicatione affectum, extra neceſſitatis articulum abſolutum a Confeſſario, illud ignorante, fuerit. Et tamen, ſi argumentatio ex pietate Eccleſiæ deducta quidquam valeret, longe probabilius evinceret, Eccleſiam ſupplere juriſdictionem in caſu ignorantiæ invincibilis, quam in caſu dubitationis. Hoc evidens eſt. Nam dum quis dubitat, caſum eſſe reſervatum, recurrere ad Superiorem poteſt, ignorans non poteſt. Nec eſt, quod reponas, in caſu ignorantiæ reſervationem eſſe certam. Nam modo diſpicimus vim argumentationis arceſſitæ a pietate Eccleſiæ, quæ, ut animarum periculo ſuccurrat, ſupplere dicitur juriſdictionem, ſi deſit. Æquale autem eſt animarum periculum, quoties juriſdictio deſit: ſive deſit ex ignorantia Confeſſarii, ſive ex probabili opinione caſus *dubie* reſervati. Tandem a duobus fere jam ſeculis diſputatur de hac probabili juriſdictione. Eccleſia quamquam Mater piiſſima numquam declaravit, ſe velle ſupplere juriſdictionem dubiam; immo ſæpius declaravit oppoſitum, ut ex Decreto Clementis VIII. conſtat, idque luculentius confirmari poteſt altera Declaratione Gregorii XIII. Diſputabatur olim, utrum Decretum Tridentinæ Synodi *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. comprehenderet etiam Prælatos, quibus jus eſt eligendi ſibi Confeſſarios, nimirum poſſent ne iſti eligere ſibi Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo? Ad hanc dirimendam Controverſiam deſtinatum Romæ fuit decem Cardinalium Collegium, quorum quinque in affirmantem, quinque in negantem opinionem concedebant: quorum rationes recenſet Doctor eximius Suarez *Diſput.* 28. *de pænit. ſect.* 4. *n.* 7. additque, Summum Pontificem Gregorium XIII. reſpondiſſe: *In re dubia tutius eſt adhærere Decreto Concilii Tridentini*, videlicet, ne Prælati eligere valeant in Confeſſarium

Digitized by Google

ſimplicem Sacerdotem ab Epiſcopo non approbatum. Aſſerant Probabiliſtæ vel unicum documentum, quo evincant, Eccleſiam declaraſſe, ſe ſupplere velle juriſdictionem dubiam. Nullum hactenus aſſignarunt. Ergo evidenter patet, commentitiam plane eſſe, atque chimæricam, certitudinem, quam jactant ſuæ opinionis. Rationes cum rationibus conferantur. Illi ipſi negare non poterunt, rationes, quas nos adduximus, ut minus evincere, dubium eſſe, utrum Eccleſia ſupplere velit juriſdictionis defectum. Sed uſus dubiæ opinionis in conferendis Sacramentis damnatus ab Eccleſia eſt. Ergo damnata quoque remanet eorumdem opinio.

XLII. Victas manus darem, inquit Interpres, niſi aliud grave momentum me retraheret. Etiamnum quid reponas, habes? Utique. Ediſſere ergo. P. Gregorius *Gobat* de re caſuiſtica optime meritus, improbo labore collegit *tract.* 7. *n.* 116. *centum*, & *triginta Authores* docentes, licitum eſſe abſolvere cum juriſdictione probabili. Porro P. Dominicus Viva in ſuo curſu Theologico *Tom.* 2. *par.* 6. *q.* 8. *a.* 2. hoc argumentatur pacto a *poſteriori*. *Non eſt probabile centum & triginta Doctores a Gobat relatos in re tanti momenti eſſe deceptos*, & *indiguiſſe cenſura*. Hoc profecto argumentum magnum mihi faceſſeret negotium, ſi Interpres vadem ſe conſtitueret magnam iſtorum partem Doctorum ex illis non eſſe, de quibus hæc ſcribit P. Antonius *Terillus* celebris Societatis Jeſu Theologus in *prologo ad tract. de conſcientia*. „ „ *Innumerabiles ſunt* (*ideſt pluſquam centum & triginta*) qui „ a 30. annis Summis caſuum, rerumque moralium Tractatibus Bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut „ *ad famam*, quam aucupabantur, pervenirent? ... In opi„ niones *laxiores* oculos, animumque conjecerunt, gnari eas „ præ omnibus vulgo placituras... Vidi ergo ex hiſce re„ centioribus nonnullos, viros cæteroquin egregios, qui cum „ in rebus ſummi momenti ad Dei legem, & conſcientiæ „ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium ſententia „ ad intolerabilem opinandi laxitatem declinaſſent, aliud ta„ men, quo moverentur, quam argumentum a ſimili du„ ctum, non habebant. *Vidi*, & *exhorrui*. Neque hic ſte„ tit quorumdam audacia. Plurimi enim, etſi doctrina lon-

„ ge

Digitized by Google

„ ge inferiores, ſimilem quoque arguendi modum ſibi lici-
„ tum ex laxis reſolutionibus ad alias laxiores iter ſibi,
„ rectius dixerim, & ſibi, & aliis præcipitium aperuerunt.
„ Nec defuere qui laudi ſibi verterent laxiores ſententias in
„ unum colligere, eaſque tamquam legitimas Conſcientiæ
„ regulas ſub ſpecioſo Probabilitatis tegmine venditare. *Im-*
„ *mo incredibile non eſt, eos ſub ſubtili ſatanæ inſinuatione*
„ *deceptos ſub humanitatis cujuſdam lenocinio, mutuique bo-*
„ *noris ſpecie, quibuſvis aliorum dictis probabilitatem ideo*
„ *attribuiſſe, ut quam ipſi prærogativam prioribus ultro de-*
„ *diſſent, eam ipſis poſteriores non inviderent. Hac arte do-*
„ *loſus inimicus poſtquam doctiores*, qui & ſibi invigilare, &
„ aliis proſpicere debuerant, prægustato plauſu *amplioris fa-*
„ *mæ per laxarum opinionum evulgationem ſibi* certo acquirendæ
„ faſcinaſſet, per eos nimis incautos in Campo Moralis Theo-
„ logiæ *optimo ſeverarum opinionum tritico abunde ſato* dete-
„ ſtanda laxitatis zizania ſuperſeminavit, & abiit; conſcius
„ quippe erat ea abſque boni tritici jactura numquam evel-
„ lenda. „

XLIII. Prolixam poſceret expoſitionem textus ejuſmodi, in quo & præterita facta narrantur, & futura prædicuntur. Curſim aliqua præter, aliqua juxta inſtitutum indigitabo. 1. Omnes, nemine excepto, præfatos Authores Terillus aſciſcit in Probabiliſmi patrocinium. 2. Iſtorum quoque plures ingrediuntur cenſum contextum a P. Gregorio *Gobat*. Atque adeo nullius eſt numerus, qui opponitur, auctoritatis comparatæ ad auctoritatem Eccleſiæ in theſi proſcripta oppoſitum decernentis. 3. Via ad aucupandam famam, plauſumque mundanum, laxitas eſt, minime ſeveritas opinionum. Arctam quippe Chriſti viam carnales homines calcare detrectant, clamantque: *Durus eſt hic ſermo*. 4. Authores iſti *ſubtili ſatanæ inſinuatione* (verba ſunt Terilli: avertant enim Superi, ne talia fari auſint Antiprobabiliſtæ) *decepti* ſub benignitatis *lenocinio, mutuique honoris ſpecie*, aliorum opiniunculis probabilitatem tribuerunt, ut quam laudationum prærogativam ipſi prioribus tribuerent, eamdem ſibi poſteri non inviderent. 5. Poſtremum divinatur *laxitatis zizania*, quæ in Campo Theologiæ Moralis *optimo ſeverarum* (ideſt ve-

rarum) *opinionum tritico abunde ſato* ſuperſeminavit inimicus Probabiliſmus, numquam abſque boni tritici jactura evellenda ſore. Heinc collige oraculum Chriſti Domini, quo jubet ſinere, ut zizania ſimul cum tritico creſcant uſque ad meſſem, indicare nobis non mores modo corruptos in Eccleſia tolerari, verum etiam & opiniones falſas. Quod dictum velim in quoſdam, qui Chriſtianæ doctrinæ minus periti, dum in Moraliſtis aliquam, quantumvis laxam, opinionem legunt, quæ damnata ab Eccleſia non ſit, continuo inferunt, optimam eſſe conſcientiæ regulam. Quod conſectarium Alexander VII. damnavit in propoſitione vigeſima ſeptima. 6. Quæro tandem ab Interprete, num in centum, & triginta Doctoribus citatis a P. *Gobat* vel unus computetur Doctor Eccleſiæ? Quid, quod Authores laudati ſcripſerunt antequam Innocentius XI. damnaret 1. Propoſitionem? Idcirco nullius ſunt authoritatis. Quid ſi Doctores iſti eſſent, paucis exceptis, illorum, quos P. Michael Elizalde *Summularios* vocat, qui velut oves, & aves unius Authoris opiniunculam, dummodo laxam, & fuco benignitatis illitam, & ſæpe male intellectam, ſequuntur? Exemplum in priori Epiſtola luculentum habetur tot Moraliſtarum, qui ex fortuito, jocoſoque mamillarum tactu, a Navarro excuſato a gravi culpa, ob peculiares circumſtantias, collegerunt Regulam generalem. Verum, quod ad extremum Moralis Doctrinæ detrimentum pertinet, eſt, quod ex hac Juniorum multitudine inferunt non modo probabilem, ſed certam eſſe opinionem, cui iſti patrocinantur.

XLIV. Iſtius rei exemplum nobis *Diſſertator* Caſuum præbet in altero ſuo opuſculo inſcripto *Praxis Tribunalis pænitentiæ*, & in hac Diſſertatione ſua in caſus reſervatos citato. In hac pænitentiæ praxi *diſp.* 1. *q*... *n*.4.*pag*.8. ſequentem docet opinionem. *Pænitens tamen, qui de peccatis commiſſis doleat ob MALA TEMPORALIA, quæ peccando metuantur, (idem, ſicut modo dictum eſt, proportionaliter patet quo ad bona temporalia, quæ non peccando ſperentur, dicendum eſſe) tamquam a Deo inflicta, ſi cætera adſint, & gratiam Sacramenti pænitentiæ accipit, & idem Sacramentum ſuſcipit.* Quo momento tam laxam confirmat opinionem? Allegat primum

in

in ejuſdem patrocinium decem & octo Doctores, quos inter ſunt ſequentes. Diana, Tamburinus, Gobat, Eſcobar, Leander, La Croix, Illſung, Sporer, Reiffenſtuel, Giribaldi, Viva, Reginaldus, Zuccherius, Clericatus, Bonacina, Suarez, Lugo, Maſtrius. Quodnam ſecundum momentum? *Quia in Scriptura* (inquit) *legitur temporaliter quoque a Deo peccata puniri*. Quodnam tertium? Quia Tridentinum dicit *ex gehennæ, & pænarum metu*. Per vocem, inquit, *pænarum, ſe intelligere mala temporalia tamquam a Deo inflicta indicat*. Obiter quæſo adverte quam ſincerum, quam obvium ſit commentum iſtud? Duo dicit Concilium; & conjungit particula copulante: *Ex gehennæ & pænarum metu*. Intellige nunc quod tibi arridet *pænarum* nomine. Illud luculentum eſt, Concilium primo loco ad concipiendum peccatorum dolorem deſignare gehennæ conſiderationem. *Ex gehennæ & pænarum metu*. Qua ergo ratione excluditur quod primo loco Tridentinum ponit? Etiamſi pænarum nomine intelligeret temporalia damna, quod tamen falſum prorſus eſt; hoc tamen evidens eſt in primis gehennæ timorem Tridentinum præſcribere. Et Probabiliſtæ audent in Concilii propoſitione luculentiſſima per ſummam vim detruncare potiſſimam partem, & ad ſola mala temporalia totum ſenſum reſtringere? Inſuper ſpei Theologicæ, quam pænitens in Deum convertendus habere debet, ſola bona temporalia, *quæ non peccando ſperentur*, proponunt? Hæc tamen obiter & præter inſtitutum. Quæ ſequuntur negotium conficiunt. Subdit ergo *loc. cit.* Interpres. *Porro hæc ſententia tum auctoritate fere OMNIUM Theologorum, tum allata probatione, eſt PROBABILISSIMA, ſeu moraliter CERTA, ideoque licite PRACTICABILIS, quin obſtet eam circa valorem Sacramenti verſari, ut inter cæteros optime monet Zuccherius*. Plurima hic expendenda occurrerent. Cenſuram olim ſeveram inurebant Theologi ſententiæ propugnanti, attritionem ex ſolo gehennæ metu conceptam ſufficere ad Sacramentum pænitentiæ ſuſcipiendum. Alexander VII. vetuit alterutram ſententiam cenſuris notari. Benignioris, ſeu laxioris Ethices Patroni, poſt latum decretum, opinionem de attritione concepta ex ſolo metu damnorum temporalium, a Deo per fidem cognito inflictorum, & ex ſpe aſſequendi bona pariter tem-

temporalia, promovere cæperunt. Sub initium aliqui Theologi eam docebant, ut ſpeculative probabilem. Innocentius XI. ut ſanctitati Sacramentorum occurreret, damnavit, ut vidimus, uſum opinionis probabilis, quando diſputatur de *valore Sacramentorum*, relicta tutiore. Vidimus paulo ante noſtros Probabiliſtas interpretantes theſim hanc proſcriptam, docere veram illam eſſe, quando probabilis opinio ſpectat materiam, & formam Sacramenti, ut videre potes apud P. Viva in 1. *propoſ. Innoc. n.* 20. ſecus ſi reſpiciat juriſdictionem, licet eſſentialiter requiſitam. Nunc opinio probabilis ſpectat materiam. Dolor enim eſt materia Sacramenti pœnitentiæ. Quænam tutior opinio? Concipere dolorem ex metu gehennæ, pænarumque æternarum: aut ex metu damnorum tantum temporalium? Nemo ſana præditus mente inficias ibit priorem tutiorem eſſe. Ergo damnata poſterior. Quid ad hæc reponit Interpres Caſuum? Reſpondet. *Nec obſtat eam circa valorem Sacramentorum verſari, ut inter cæteros optime monet Zuccherius.* Næ hæc robuſtiſſima ratio! Quando ſermo eſt de juriſdictione, eludunt propoſitionem damnatam, dicendo, intelligendam eſſe, cum diſputatur de valore Sacramentorum pendente a materia, & forma. Quando poſtea opiniones probabiles revera ſpectant materiam, & formam, quid reſpondent? Reponunt, id non obſtare, quominus eligatur opinio probabilis relicta tutiore. Eccur hoc? Quia Probabiliſtæ ſic docent. Recte, & bene. Sed quod cujuſque fidei limites tranſilit eſt illa periocha. *Porro hæc ſententia tum auctoritate fere OMNIUM Theologorum, tum &c. moraliter certa eſt.* Dicat nobis Interpres. Si quis hæc ſcriberet: OMNES fere Theologi docent, attritionem conceptam ex ſolo metu pænarum æternarum inferni, excluſo quolibet charitatis amore, ſufficere ad pænitentiæ Sacramentum, non ne certiſſimam mendacis notam ſubiret, quod in facto luculentiſſimo mentiretur? Qua ergo cenſura inurendus ille ſit, qui ſcribit, *OMNES fere Theologos* propugnare, ad Sacramentum pænitentiæ ſatis eſſe attritionem ex ſolo metu temporalium damnorum, & ex ſola ſpe bonorum terrenorum, judicium penes Interpretem eſto.

XLV. Adeo evidens eſt, opinionem Interpretis damnatam eſſe ab Eccleſia, ut vel ipſe P. Cardenas, licet Probabiliſmo,

ſpecu-

ſpeculativo tamen, ſecus practico, addictus, expreſſe hoc teſtetur *in propoſ.* 1. *Innoc. XI.* Lubet tranſcribere verba ejuſdem *ex diſſer.* 2. *cap.* 6. *a.* 2. *q.* 2. *n.* 72. *de attritione ex metu pœnarum temporalium*. „ Dico ſecundo. Si hæc ſententia doceat, eſſe licitum ducere ad praxim id genus attritionis, ita ut dicatur eſſe licitum confiteri advertenter cum „ ea ſola attritione (quod non aſſerunt Authores hujus opinionis) *ſubjacet* damnationi. Patet concluſio. Illa opinio „ ſubjacet huic damnationi, quæ verſatur circa valorem Sacramenti, cum illa attritio ſit pars eſſentialis Sacramenti: „ & illa quidem eſt minus tuta. Nam ſi coram Deo non „ eſt vera, Sacramentum pœnitentiæ fruſtratur. Ergo ſi docet, licitum eſſe eam deducere ad praxim, *ſubjacet huic damnationi*. „ Caſuum autem *Diſſertator* docet, quod ſit *Probabiliſſima*, *& moraliter certa*, *ideoque licite Practicabilis*, *ut optime monet Zuccherius*. Doctus piuſque Cardenas excuſat Theologos, qui ſcripſerunt ante Innocentium XI. quod præfatam ſententiam docuerunt, non ut ad praxim deducendam, ſed ſpeculandi, & diſputandi gratia. Verum ut ut ſit de hoc, illud eſt evidens, damnatam nunc eſſe ejuſmodi opinionem. Plurima alia, quæ confutatione pariter indigerent, miſſa facio.

XLVI. Antequam dicendi finem faciam, ad te Præſul Illuſtriſſime, orationem converto. Quæ a te in mandatis accepi, defunctus ſum. Utinam felici eventu. Cauſam ſane juſtam, ſanctam, atque neceſſariam me propugnaſſe, nullus dubito. Utrum vero ea, qua par eſt efficacitate, & gravitate id peregerim, aliorum eſto judicium. Scribendi ratio quibuſdam forte diſplicebit. Sed injuria. Deridentur utique, data opportunitate, laxæ opinationes, jocis, ſalibus, & ironiis moderate perfricantur. Sed ſalvo ſemper in Adverſarium obſequio, & reverentia. Nec eſt quod opponant, ex opinionum refutatione lædi earumdem Magiſtros: quoniam ſi id ſequatur, non cenſoris, ſed materiæ officium eſt. Atque adeo non nobis, ſed ſibi malum, ſi quod eſt, vertere debent. Rei confutandæ ſtylum accomodandum eſſe docent omnes, idque Patres noſtri Sanctiſſimi, potiſſimum Chryſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Bernardus, tametſi Melifluus, non modo dum in hæreticos, verum

verum etiam cum in Catholicos, & Monachos ipſos ſcripſere, præſtiterunt. Celebris in hoc genere eſt Tertulliani *adver. Valent. cap. 6.* Regula: *Multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur: vanitati propriæ feſtivitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia læta: de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum plane, ne riſus ejus videatur indignus. Cæterum ubicumque riſus dignus, officium eſt.* Quid? Impune illi evulgabunt, ſacrarum Virginum genas vellicari, ubera attrectari: auguſtam tremendamque Dei Majeſtatem perjuriis, & blaſphemiis proſcindi abſque gravi ſcelere poſſe: Qui vero Doctrinam hanc in proximum pernicioſam, in Deum impiam, jocis, & ſalibus deridendam, execrandamque propinant, pænas dabunt æternas? Vidimus in priori Epiſtola P. Tamburinum, mirificam illam delectationem *Non libidinoſam* captam ex tactu mulieris, ut mulieris, oratione elegantiis, & leporibus illita, exponentem. Splendidis ille metaphoris, & lenociniis, roſarum fragrantia, purpuræ, & liliorum coloribus, ſuaviſſimiſque odoribus veneris putorem fucavit, ut amabilem, & honeſtum lectoribus exhiberet: Qui contra veritatem Evangelicam propugnare ſtudent, utantur ſtylo languido, ſerpente, ſalebroſo, qui faſtidium, & ſomnum Lectoribus conciliare ſit aptus? *Illi*, (inquit S. Auguſtinus lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 1.) *animos audientium in errorem moventes, impellenteſque, dicendo terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter: iſti pro veritate lenti, frigidique dormitent? Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat.* Uſque adeone progreſſuri ſunt hominum auſus, ut venialia reputent læſæ Majeſtatis divinæ horrendiora ſcelera: e contrario autem violatæ charitatis erga Moraliſtas poſtulent eos, qui iſtorum opiniones ſcandali, erroriſque plenas, improbant, labefactant? Quodnam hominum genus iſtud? Dum non habent quid in reprehenſa crimina, & confutatos errores reponant, rationem reprehendendi, atque ipſum reprehenſorem carpunt, mordent? Quid ſi paulo acrius in æternæ ſalutis negotio refutati errores eſſent? Excandeſceres ne in eos, qui voce ſevera te admonerent, ut a cibo veneno imfecto abſtineas? Sed quid ultra provehor in accuſatione ineptiſſima repellenda?

XLVII. Tu interim, Præſul Sapientiſſime, pro eo, quo in ſanam

Digitized by Google

ſanam doctrinam ſartam tectam cuſtodiendam zelo flagras, has qualeſcumque epiſtolas in obſequii erga te mei teſtimonium ſuſcipias velim. In his Dei honor, quo nihil ſanctius, nihil auguſtius nobis eſſe vel poteſt, vel debet, a blaſphemiis ſacrilegis: Virginum caſtitas ab impudicorum tactionibus: poteſtas Epiſcoporum in caſibus reſervandis ab iniquis interpretamentis aſſeruntur, propugnantur. Hæc profecto ejuſmodi ſunt, quæ te permovere magnopere debent, ut nullum non moveas lapidem, quo Urbe, & agro erroneæ opiniones exterminentur. Vidiſti non ita pridem, quæ adverſus paupertatis Monaſticæ votum prodiere; legis nunc quæ ad violandum pariter illibatæ caſtitatis Monialium votum typis ſunt edita; ſi hæc impunita permittantur. Niſi propagandæ laxitatis impetus cohibeatur, quo tandem Evangelicæ Moralis ſanctitas deveniet? Sed quid ego ſponte currentem calcaribus urgeo? Macte igitur virtute, Antiſtes Illuſtriſſime, & meum qualemcumque pro aſſerenda a perniciosis opinationibus ſaniore doctrina conatum æqui bonique conſule. Vale.

Dabam die 17. Jannarii 1744.

EINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore del S. Officio di Venezia nel Libro Intitolato *Epiſtolæ Theologico-Morales ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum N. N.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e perimente per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li *6.* Febbraro 1743.

(*Gio: Pietro Paſqualigo Rif.*

(*Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.*

(

Regiſtrato in Libro a carte *26.* al num. *166.*

Michel Angelo Marino Segretario.

Adi 8. Febraro 1743.
Regiſtrata nel Magiſtrato Eccellentiſs. degl'Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segretario.

Digitized by Google

ADDENDA ad Epiſt. 2. Intempeſtivæ quorumdam obtrectationes diuturni ſilentii cancellos egredi nos, vel invitos cognnt. Oppoſuerunt cenſores quidam, nec noſtro judicio indocti, ſed ſuo æquo doctiores, nos Diſſertatoris ſententiam exaggeraſſe. Cur? Quod ſcripſerimus, eumdem docere blaſphemias ex conſuetudine prolatas mortifera carere malitia. A veritate toto oſtio aberrare cenſores inter colloquendum evicimus: At non propterea deſtiterunt illi ſua aliis ſuadere commenta, & invidiam doctrinæ noſtræ conflare, rumoreſque ſpargere. Idcirco palam omnibus facere compellor, ſinceritate ſumma Diſſertatoris, opinionem expoſitam a nobis eſſe, qualibet vel minimæ exaggerationis vola ſublata. Et primum Textus integer, nec apice dempto, reſcriptus eſt. Hoc poſito, fac meam interpretationem haud exacte textui reſpondere. Quid tum? Inſcitiæ tantum, non infidelitatis, non impoſturæ arguendus fuiſſem. Quis unquam calumniæ interptetes Ariſtotelis, D. Thomæ, aliorumque damnavit, quod erraverint in eorumdem commentariis? Quid ergo gravioris culpæ plenam commentationem noſtram criminatur ille, ſeque mortiferi delicti fontem declarat, ſi talia ſcriptitaſſet. Non ne ex hoc ſolo primo capite patet, quam ſit infelix Cenſoris critice? Quid ſi exactiſſima eſſet interpretatio? Tum ſane injuſtior cenſura foret. Porro ſi quam genuina, ſi quam ſincera ſit interpretatio noſtra, ſcire, aves, animum intende in univerſæ doctrinæ ſummam, quam pag. 2. n. III. & IV. primæ editionis perſtrinxi. Pauca verba ſub oculos reduco. „ Nullum peccatum, libertate ſublata. Libertas nulla, „ mente reapſe non advertente, non conſiderante. Conſuetudo blaſphemandi tollit conſiderationem actualem blaſphemiæ. „ Ergo auſert libertatem peccandi. Qui „ igitur ex conſuetudine blaſphemat, non „ peccat „. Hic eſt univerſæ probabiliſticæ in hac cauſa doctrinæ ſuccus, qui per univerſam diſputationem ſe. ſe effundit. Hæc eſt amuſſis, ad quam cætera revocanda ſunt. Quid, quod paſſim hoc principium in diſputationis progreſſu conceptis verbis inculcatum eſt? Non ne pag. 6. nn. IX. hæc occurrunt? *Advertiſti* ne te blaſphemare? *Sciviſti* ne ejuſmodi eſſe peccata? Item pag. 7. *Conſuetudo hæc plenam tibi ademit deliberationem, qua ſublata, neceſſaria ad peccandum libertas periit; ergo aut nullam, aut venialem culpam pecaſti.* Quid itaque per exaggerationem dictum? Forſitan, quod pag 11. n. XVI. adiectum ſit. „ Interpretem caſuum *laxius aliquo modo* „ cæteris, hanc ſuam defendere opinio„ nem „? Qui id aſſereret, ſuam cauſæ hujus ignorantiam proderet. Probabiliſtæ quippe omnes præſatæ opinionis propugnatores docent, blaſphemiam prolatam *ex inconſideratione orta ex conſuetudine* mortifera carere iniquitate, ut ex textibus Tamburini, Leandri, & aliorum notum eſt. Caſuum Diſſertator ultra progreſſus, omiſſa *inconſideratione*, ipſam conſuetudinem proximam, atque immediatam indeliberationis cauſam aſſerit, ac ſi conſuetudo ſive advertatur, ſive ſecus impediret, ne blaſphemia mortalis eſset. Quia tamen ex univerſo textu colligitur hucuſque illum non ſpectaſse, ſed verbis potius, quam reipſa, ad hoc quod attinet, erraſse: iccirco cautione ſumma dictum fuit, *aliquo modo laxius*, cæteris ſuis commilitonibus propriam expreſſiſse ſententiam. Nemo quippe hactenus adeo ſtultus repertus fuit, qui docuerit, *Conſuetudinarium* non peccare, etiam dum actu advertit, ſe blaſphemare. Quandoquidem, dum quis plena deliberatione ſciens, atque clare advertens blaſphemat, non conſuetudine, ſed mera malitia impellente, blaſphemias eructat. Porro controverſia præſens, ut perſpicue explicatum eſt, in hoc vertitur, peccet ne novum peccatum, qui ex conſuetudine voluntaria, non retractata *inadvertenter* blaſphemat? Heinc eſt, quod Caſuum Diſsertator triplicem diſtinguat indeliberationem. Alteram ex ira. Alteram citra iram omnibus communem. Tertiam ex prava conſuetudine. Hæc tria membra perpendenda cenſori fuiſsent. Blaſphemiæ, quæ vi conſuetudinis proferuntur, non ſunt inquit Diſsertator, directe voluntariæ, ob plenæ advertentiæ defectum. Ex alia parte voluntarium in cauſa, ſeu in dicta conſuetudine, minime ſatis eſt, ſubdit ille, cum Probabiliſtis ſuis, ad peccatum mortale actuale. Quoties deficit advertentia actualis, deeſt libertas ad peccatum mortale. Abeſt autem actualis advertentia in his, qui vi conſuetudinis, ſeu ex habitu operantur. Qui enim ſcientes & advertentes blaſphemant, non vi conſuetudinis, ut dixi, ſed vi iniquæ cognitionis, & obfirmatæ malitiæ peccant. Ergo qui ex conſue-

Digitized by Google

ſuetudine blaſphemant graviter actu non peccant. Hæc eſt ſincera Probabiliſticæ in hac quæſtione doctrinæ ſumma per totam Epiſtolam explicata. Lege quæ de *ignorantiſmo* & *Philoſophiſmo* ſigillatim diſserui & ſub initium Epiſtolæ *pag.* 2. *n.* 111. & a *pag.* 25. uſque ad 30. Opponitur Theologorum Caſuum Diſsertatori conſentientium authoritas. At ſub initium Epiſtolæ *pag.* 3. hæc ſcripſi. *Doctrinam, quam in hac interpretatione* Diſſertator *Caſuum promit, non excogitavit ipſe, ſed tranſcripſit ex aliis Theologis. In altera Epiſtola cum eo ſolo mihi certamen fuit, nunc cum Probabiliſtarum manipulo deprœliandum eſt.* Extollat cenſor noſter Leandrum, Tamburinum, alioſque plures ipſius doctrinæ aſsertores, ſed ſimul recogitet, velim, non propoſitionem, ſed Propoſitiones in libello Diſsertatoris contineri *reſpective falſas, maleſonantes, ſcandaloſas, & piarum aurium offenſivas.* Quænam iſtæ? Recogitet, propoſitiones ab Alexandro VII. & Innocentius XI. non modo a pluribus, ſed a graviſſimis Theologis propugnatas eſse.

II. Inſtant Cenſores. Caſuum *Diſſertator* ſuam propoſitionem conditione ſuſpenſam promit. *Si blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex prava conſuetudine blaſphemandi.* Ex hac propoſitione conditione *ſi* affecta, in Epiſtola ſequens abſoluta, & univerſalis theſis infertur. *Conſuetudo ergo blaſphemandi, impedit, quominus quis deliberate blaſphemet.* Hæc ne recta argumentandi ratio? Quis ferat, clamant cenſores noſtri, tam truncos logicos, apertoſque impoſtores? Bona verba quæſo. Trimembris eſt, ut dixi, Diſsertatoris textus: videlicet: blaſphemia non eſt mortifera, *ſi* ſit indeliberata ex ira, *ſi* ſit indeliberata citra iram: *Idemque pariter eſt* ſi *blaſphemia ſit imperfecte deliberata ex prava conſuetudine blaſphemandi* To *ſi* relativum eſt, ad duo priora membra, ut clare evincunt quæ eveſtigio ſequuntur verba. *Etenim talis blaſphemia vel ſecundum MULTOS Doctores, utpote non voluntaria ſaltem perfecta, non eſt culpa, ſaltem mortalis.* Eſt ne *conditionalis*, an indeffinita aſsertio iſthæc? At Diſsertator non dicit conſuetudinem *ſemper* inducere indeliberationem. Verum habet. Quid inde? Veniam quæſo dent cenſores, ut libere dicam, eos magnopere hallucinari, non diſtinguentes inter conſuetudinem, & *Conſuetudinarium.* Homo *conſuetudinarius*, ſeu habitu vitioſo affectus, non ſemper ex habitu, ſeu inadvertenter agit: ſed ſæpe ſciens, & advertens, blaſphemat; & hunc graviſſime peccare, nemo niſi amens inficias iverit. E contrario conſuetudo eſt quædam, ut cum Auguſtino loquar, affabricata natura, quæ ex ſua indole in ſuos vitioſos actus mentem, quin advertat, impellit. Quamobrem homines agentes ex conſuetudine communiter dicuntur inadvertenter, & ſine *actuali reflexione* agere. Qui plura cupit, conſulat Theologos, & Patres vim habitus, & conſuetudinis explicantes. Inveniet ſiquidem, talem eſse naturam habitus, & conſuetudinis, quæ homines agentes vi talis habitus inconſideratos efficiat, quamquam, ut dixi, homines *conſuetudinarii* non ſemper vi conſuetudinis operantur. Diſputant autem Theologi, utrum hæc actualis inconſideratio voluntaria ſolum in cauſa, ſeu in dicta conſuetudine, tollat libertatem neceſsariam ad peccatum mortale? Adfirmat *Diſſertator* Secundum MULTOS Probabiliſtas. Et hanc nos Opinionem, ut Scandali plenam deridendam, execrandamque ut res poſtulabat, propinavimus, ſalvo in Authores obſequio, officioque. Hæc omnia, & alia plura dearticulate in Epiſtola explicata non ſunt, quod præter inſtitutum erant. Eo quippe oratio tum pertinebat, ut refelleret, non, ut explicaret notam Theologis laxiſſimam *multorum* Probabiliſtarum Sententiam. Ne autem levis ſuſpicio ſuboriri poſset, nos vel tranſverſum unguem aggravaſse *Diſſertatorem* ſub ipſum Epiſtolæ initium admonitum eſt, nobis non cum eo in hac cauſa, ſed cum *Probabiliſtarum manipulo* diſputandum fore: non peculiarem ipſius, ſed *multorum* opinionem confutandam. Ibidem quoque explicatum baſilice eſt, quomodo conſuetudo tollat conſiderationem actualem, qua ſublata, blaſphemia, ex eadem prolata mortiferam ſuam, ut contendunt illi, malitiam exuit. Et quod in Epiſtolæ decurſu hæc omnia ſingulis periodis repetita non ſunt, ne ſtrigoſam, ſalebroſamque efficerem orationem, propterea ne impoſturæ arguendus fui? Detruncatur una periodus, quæ relate ad antecedentia intelligenda neceſsario eſt, ut heinc calumniandi anſa captetur? Evidens itaque eſt Injuria apertiſſima cenſorem evulgaſſe, nos minus ſincere diſſertatoris ſententiam fuiſſe interpretatos. Quæſtiunculas alias, quas Theologi ſuper conſuetudine blaſphemandi, diſputant, indictas præterii, quod præ-

ter

Digitized by Google

ter inſtitutum meum eaſdem reputaverim. Plura ſileo, dicturus in tempore, ſi opus fuerit. Non minus injuſta eſt cenſura altera adverſus ea lata, quæ de juriſdictione in caſus *dubie* reſervatos diximus. Expendat lector animo a probabiliſticis præjudiciis vacuo, quæ ſcripta ſunt a Num. XXXVIII. uſque ad XLIV., & ſpero fore, ut nihil ſit offenſurus, quod ſpongia egeat. Cenſoribus noſtris non arridet Clementini Decreti interpretatio, nec univerſa doctrina *ibidem* tradita. Eſto. Iccirco ne arguenda erroris eſt? Scilicet. Quod ipſorum palato non ſapit, error eſt. Næ iſti cenſoris egregii? Nos ſane, non ita deſipimus, neque deliramus, ut vel omnibus probari noſtra, & ſuſcipi velimus, vel a nemine impugnari contendamus. Cuique jus eſt ſententias typis editas ſub examen inducere illaſque refutare, qnas refutatione dignas autumant. Illud dumtaxat minus honeſtum, minuſque æquum, ut leviſſime dicatur, credimus, quod cenſores ejuſmodi non modo contradicant rebus noſtris, verum etiam opiniones noſtras, quæ ſibi non quadrant, tanquam errores apertos imperitis divenditent. Silentio hæc obvoluiſſem, niſi tetrici cenſores in alia quoque opera noſtra ſuam exercuiſsent cenſoriam virgam, ſemper tamen, perſpicua veritate repugnante. Nihilo ſecius ſurda aure, & conſtanti patientia omnia diſſimulavi, memor Apoſtoli Pauli ſententiæ. *Cum enim ſit inter eos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* 1. *cor.* 3. *v.* 3. Verum, cum longa experientia dicerim, patientia noſtra acui, non extingui, opera noſtra cenſurandi cacohetes: iccirco pauca hæc obiter indicare expediens, atque conſentaneum judicavi, ut cenſores ejuſmodi ſibi in poſterum a critice minus æqua temperent, diſcantque parum ſuæ fidere, qui alienæ virtuti invident. Legendum moroſis cenſoribus recordor *cap.* 1. *Append. tom.* 1. *Hiſtor. Probab.* ubi fuſe oſtenſum eſt, veritati alios vi ſyſtematis doctrinalis, alios vi ſyſtematis Politici bellum indicere. Sed dabimus, ſi per otium licuerit, Diſſertationem de officio cenſorum in librorum judicio, ubi indicia exponentur, unde colligendum prudenter ſit, quandonam cenſura ſit fœtus ſimultatis, factionis, invidentiæ aliarumque, affectionum, quando contra amatæ veritatis & ſinceritatis partus germanus. Hæc omnia accipias velim, tanquam non animorum, ſed ingeniorum dumtaxat innocenter diſſidentium fructus. Litterarium certamen mutuo peregerunt Sanctiſſimi viri. Quidni & nos in contrarias ire ſententias poſſumus, charitate illæſa, & ſalvo animorum vinculo? Illud ſolummodo cenſoribus noſtris, quos omnes tanquam doctos, proboſque colimus, & Chriſti charitate diligimus, neceſſitate cogente recordamur, quod ſcribit S. Thomas *opuſc. XVII. cap.* 16. *Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, ſed ſcribat, & ſcripturam proponat in publico, ut ab intelligentibus judicari poſſit, quod verum ſit, &, ut quod erroneum eſt, auctoritate veritatis confutetur.*

33 366469

Digitized by Google

Digitized by Google